

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum
ab Ad-||uentu vsque ad Festum Pascæ in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

IN DIE PURIFICATIONIS MARIAE EVANG. DE Christo Iesu Lucae. 2.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150424

POSTILLA F. IOANNIS FERI

le erant collegis? Quid Diocletianus innumeris Martyribus? Nihil omnino: nisi quod selectissimos Dei amicos, Deo chariores, totiq; mundo honoratiores reddiderunt. Quid ergo est, quo tibi quoq; tuus sua Tyrannide nocebit hostis? Erit forte quod corpori tuo noceat, ac plus propria nocet animæ. Qui enim peccat, &

Psal. 10.
Ezech. 18 iniquitatem amat, animâ suo odio habet. Quin & quælibet anima peccans, morte morietur. Nullus ergo contra hostes tuos tibi querelæ locus relictus est, qui sibi-

Lucæ. 13. metipsis plus quàm tibi incommodant; condolere autem magis decet, quemadmodum Christus cum ait: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Nemo ergo te lædet vere, nisi lædas teipsum. Nemo tibi incommodat, nisi qui tibi Deum præripit, aut eum tibi reddit insensum. Sed hoc nulla creatura facere potis est. Solum peccatum alienum Deum facit & insensum. Tibi ergo ipsi plurimum si peccaueris incommodas.

Videri posset aliquo Herodes innocētibus obfuisse, qui profuit maxime. Nihil superesse piorum post rogū, mundi est opinio: cū tamen tum demum verè incipiat viuere. Iustorum enim animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Visi sunt insipientium oculis mori, illi autem sunt in pace. Deus Opt. Max. & viuendo, & moriendo gratiam suam largiatur, Amen.

IN DIE PURIFICATIO-

NIS MARIAE EVANG. DE

Christo Iesu Luca. 2.

Leuit. 12.

Exodi. 13.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi: tulerunt Iesum in Hierusalem, vt sisteret eū Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctū vocabitur Domino. Et vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini: par turturum aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Hierusalē cui nomen Simeon.

Et homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israël: & spiritus Sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à spiritu sancto, non visurum se mortē, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuū in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciē omnium populorum. Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.

EODEM FESTO EPI.

stola. Malachiæ Cap. 3.

Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad tēplum sanctum suū dominator, quē vos queritis, & angelus testamēti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercitū. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius: & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflagrans: & quasi herba fullonū. Et sedebit conflagrans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum: & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia, & placebit Domino sacrificium Iuda, & Hierusalem sicut dies seculi, & sicut anni antiqui.

PRI-

PRIMVS SERMO.

SI quis huius diei sacrosanctam Euangelij lectionem penitus aliquanto secum examinauerit, haud dubie facile considerabit, quia Ecclesia totum diffusa per orbem, non sine pregnanti & iusta causa, tanta cum solennitate, tamq; egregijs laudibus, nec sine caeremonijs hodiernam festam diem celebrat. Tanta enim in hac lectione nobis ob oculos ponitur, vt merito ijs solis, nullo praeterea accedente, & ad diligendum, & ad celebrandum Deum incitaremur. Quamquam autem secundum ea quae exterior litera praese fert, nihil peculiare, nihil arduum aut nouum esse videatur, quod Dei mater Maria elapsis diebus lustralibus, templum ingreditur, quod se secundum legem sacerdoti ostendit, quod vnigenitum suum sistit: imò quod iustus ille Simeon (qui respòsum acceperat non se visurum mortem, nisi prius vidisset Christum Domini) primo quoq; intuitu huius infantuli, tanta laetitia afficitur. In Mose enim omnibus mulieribus praecceptum erat eius gentis, vt peracto partus tempore Deo sacrificia offerent lustrationis: nempe, agnum anniculum pro holocausto, pullum columbarum in victimam pro peccatis. Tum etiam Dei mandatum erat, vt omne primogenitum tam in animalibus, quam in hominibus vuluam matris adaperiens, Domino sanctum vocaretur. Taceo interim senes, qualis hic noster Simeon, naturalis quodam affectu & mentis quadam laetitia erga infantes affici, quod tamen hoc loco peculiarem suam habet interpretationem. Posset, inquam, verborum contextus huius Euangelij, nihil magni polliceri, si obiter tantum perlegas: at si altius inuestigaueris, maxima & multa plena admiratione inuenias, & quod dici solet, nucleum fracta suauissimum nucleum habeas obuium. Inuenies sanctam Dei genetricem, ante, postq; partum virginem immaculatam conseruatam esse: Inuenies hanc nouam sobolem non solum primogenitum hominis, puta Mariae, verumetiam ac multo magis primogenitum omnium creaturarum, hoc est, ante omnes creaturas. Quandoquidem per verbum, qui est Dei filius, omnia quae in caelo quaeq; in terris facta sunt, imò quod ipse genitus Dei altissimi. Tum Simeon quoq; non uti hominis alicuius natum ap-

pre-

Leuit. 12.

Exod. 13.

prehendit, sed diuino quodam zelo cum vt Dei filium, vt mundi redemptorem, & quemadmodum ipse canit, salutare omnium populorum complectitur. Hunc nucleum qui inueniet, & secum in cogitationum molarum inauerit, innueniet non modo magna, sed noua plane & inaudita hominibus miracula hodie toti mundo illuxisse, atq; nobis hac festa die ab Ecclesia in exemplum ob oculos poni. Certum est enim nec venisse ante, nec venturam esse aliquando in templum honoratiorem puerperam. Tum nunquam aliquis excellentior infantulus Deo Opt. Max. praesentatus: nullum valentius vel acceptius sacrificium Deo oblatum est hodierno. Cui igitur mirum, aut cui indignum vel alienum à pietate videbitur, quod Ecclesia Catholica hoc festo tanto tripudio, cum tanta puerpera, ac Dei matre, cum tantæ benedictionis fructu, Dei filio, cum prouectæ ætatis senes Simeone, qui per spiritum in has solennitates adductus, cum mentis iubilo Deo canit: Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi nostri salutare tuum. Quis hanc solennitatem argueret? Maxime cum sciamus certò quicquid vel factum conscriptum est, ad nostram doctrinam & factum & scriptum esse: vt per patientiam & consolationem gratiæ Dei operum, & per Scripturarum testimonia tandem aliquando nostram in Deum fiduciam ponere discamus. Quis non vel cum ingenti animi lætitia eorum interesset consortio, vbi tanta confuit, vbi tam diuitis thesauri porriguntur & suscipiuntur dona, tam bona auditur nuntiatio? Truncus sit, & quoquo adamante durior, necesse est, qui tantis miraculis non tangitur, tantis donis non mitigatur, tanto & tam bono nuncio non lætatur. Ter te felicem Simeon, cui hæc omnia coram videre, tantum infantulum benedictis manibus suscipere, imò toto affectu complecti datum est. Sed & beati illi, qui licet hæc non viderunt, annunciant Ioan. 20. tamē, audiunt, piaq; mente credūt. Vnde nemo desperet aut fiat tristior, quod non viderit isthæc cum Simeone, quod non illis interfuerit sacris, nec puerum externis vlnis susceperit. Iesus Christus heri & hodie, idem est e- Heb. 13. tiam in secula, inquit Paulus. Quotidie hominibus se,

Rom. 15.

Ioan. 20.

Heb. 13.

- Acto. 17.** *in fide* uti dilectis filiis suis offert, sed & quotidie cum vera fide comprehenditur. Quod ergo Simeon ille senex externis vlnis accepit, aut quod interius in mente sensit hoc plene atq; perfecte nos quoq; habere licebit, tantū ardenti fide huic festiuitati præparauerimus, & in vnum conuenerimus. Et quid latius, quid excellentius, quid magis saluiferum obtingeret, quàm Christum puerulū habere in manibus, huius diuinam gratiam & consolationem in scrinio pectoris sentire interius? O vtinā vel semel tantum id experti essemus, quàm in omne porro opus bonum paratos nos exhiberemus? Quàm fortes nos in omni afflictione exhiberemus, quàm imperterriti in mortis etiam extremo periculo? Dicere cum Paulo semper primū esset: Mihi viuere Christus & mori lucrū est. Hæc igitur Ecclesia cogitat, atque ideo anniuersaria die proponit, vt eo firmior nostra à Deo petendi auxilij confidentia. Quod si cui hanc diem decentibus atque dignis sanctificare laudibus voluptas est omnia illa, quæ tunc cum hæc fierent in templo agebantur, quasi coram videre & audire se arbitretur. Mox lucem in manus accipiat fidei, nec yllo modo vel de virginitate matris, vel multo minus de Deitate hæsitet filij: sed gratias agat Deo & Patri, quod se eousque in diuinæ gratiæ agnitione educauerit & conseruauerit. Et cum Dauide, imò cum vniuersa Ecclesia decantet: Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui: sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini, ideoque ô Domine Deus, sicut nomen tuū, ita & laus tua in fines terræ. Hæc nobis offeruntur hodie, huiusmodi magnalia hac festa die nobis tradit S. Ecclesia. Sed ô Deus, ô Pater, quàm pauci, quibus illa nunc cordi sunt. Omnes feriari, omnes ociari volunt, sed Dei in totum obliuiscimur. Indictos dies pro more & ex consuetudine obseruamus tantū: paucissimi, qui vno spiritu, rectè a fide, veræque deuotione cū Simeone Deum in Ecclesia complectimur. Vnde fit, vt festi nostri dies contrariè parti in risum abeant. Verum vt nos, quos Dei huc in vnum congregauit bonitas, vberiore aliquem fructum ex Euāgelica historia, vt quæ plena doctrinæ & consolationis, hauriamus: placuit simplicioris ingenij causa hominum, breuiter quid hodie.
- Phil. 1.**
- Psal. 47.**

hodierno festo agat Ecclesia in genere, vt hoc discant, qua ratione sanctificāda dies hęc, quidue in ea agere cōueniat. Tria autē salutaria Ecclesia hodie peragit. Primò Deo & patri Dñi nostri Iesu Christi gratias agit, quod vnigenitū suū, saluatorem nostrū in hunc mundū miserit. Secūdo filios suos, quomodo laborandū sit, Dominum Iesum in interiora mentium intromittere atq; suscipere, edocet, instruit, magnaq; cum diligētia erudit. Tertiò orat Ecclesia, vt filij sui, credentes, per sanctum hoc Domini Iesu Christi sacrificium pura mēte in sempiternum templū in sanctum sanctorū vocētur & suscipiātur.

In his tribus hęc præsens consistit solennitas, hic Ecclesia eiusq; filij occupantur hodie. Vnumquodq; plurima cogitandi subministrat materiam: singula igitur examinemus. Primū gratias agit Deo, quod vnicum suum filium in has terras peccata mundi tollere, miserit. Gratias agit Deo filio, quod cū in forma Dei esset, in humana natura, & pro nostris delictis offerri sese demiserit, & humiliauerit. Gratias agit Deo Spiritui sancto, quod nō solum per Prophetas, verumetiam lucidissime hodie per Simeonem, verum Messiam Christū Dominū agnoscere se doceat. Sed huiusmodi hęc sunt omnia, quæ meritò vt Dei magnalia omnes in admirationē inducāt, omnes ad grates referendas incitent. Sed non omnes hęc cogitant (dolor) serē inter nos hodie euenit quod quondā cum hęc agerentur, quæ Euāgeliū retulit. Plurimi illo tempore videbant Christū in templum deferri, Deoq; sisti: at pauci, qui ea propter gratias agerēt Deo, illiq; confiterentur visi sunt. Nam ex omni illa Iudæorum turba, duo tantum decrepiti, Simeon & Anna, qui Deo laudem darent & honorem, inuenti sunt. Hi haud dubie amplius quid in hoc infantulo conspexerunt ceteris. Credebant vtiq; hunc verum mundi redemptorem, Dei sobolem, verum sacerdotem, & vnicum pro hominum peccatis sacrificium. Prophetarum dicta, maxime Aggæi & Malachiæ de aduētu Christi in templum memoria tenuerunt. Sciebant adesse, quibus Prophetarum de CHRISTO oracula implerentur, tempora: & quod maius est, Spiritu sancto dictante, hunc ipsum puerulum verum Messiam esse didicerant & redemptorem. Id

Agg. 2.
Malach. 3.

- enim ipsa eorum verba insinuant. Statim enim Simeon
 salutare Dei, lumen Gentium, & gloriam plebis Israël
Lucæ. 2. vocat. Similiter & Anna Phanuelis filia de eo vaticina-
 tur omnibus qui expectabant redemptionem Israël. Sic
 etiam Ecclesia hodie sibi natum & datum læta exultatio-
 ne iisdem verbis, quibus olim David cecinit, laudat in-
 fantulum: Magnus dominus & laudabilis nimis. Sicut no-
Psal. 47. men tuum ita & laus tua. Hodie misericordiā tuam sus-
 cepimus, nō in vno facto, nec in vno loco tantum, sed in
 templo, in Ecclesia, imō in templi medio, hoc est, in illo
 loco, vbi omnes homines, non Iudæi solum, verumetiam
 Gentes, pauperes, diuites, conueniunt. Quanta autem
 isthæc Dei benignitas sit facillē colligitur, si horribilem
Gene. 3. lapsum humanæ massæ, inuidia pestiferi serpentis in pa-
 radiso factum in memoriam reuocauerimus. Quocun-
 que enim faciem conuersi fuerimus, nihil Adæ posteri-
 tari tam necessarium inueniemus quā Dei misericordiā
 fuisse. Propterea quoque veteres illi Iudæorum Patriarchæ
 simul & Prophetæ, nihil æquē ardentē à misericor-
 diarum & totius consolationis patre efflagitarunt, atque
 beneficam miserationis diuinæ dextram. Sic David: O-
Psal. 84. stende nobis o domine misericordiam tuam, & salutare
Psal. 105. tuum da nobis. Et alio loco: O Domine, visita nos in sa-
Dan. 9. lutari tuo. Sic & Daniel. O Domine, inquit, non in no-
 stris iustificationibus preces nostras effundimus, sed in
 magna tua misericordia.

- Semper enim post lapsum timere magis sibi homo à
 prouidētia, à iustitia, ab omnipotentia, quā ea expetere
 debuit. Prouidētia enim Dei patefacit hominis peccatū,
 iustitia eius iudicat, omnipotentia damnat. Habuit ergo
 homo quod semper timeret obfistentibus sibi perpetuō
Iob. 9. his tribus. Id quod etiam Diuus Iob conqueritur: Scio,
 inquit, quia nemo iustificatur in conspectu Dei: & si vo-
 luerit disceptare cum eo, nō respondebit ei in millibus.
 Si autem perquisierit penitius, quid respondebit ei? Et:
 Ab omnibus factis meis timui, sciens quia peccatori-
 bus non parces. Et David: Ne intres in iudicium cū ser-
 uo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu
Psal. 142. tuo omnis viuens. Videmus ergo ex his, quā fuerit mi-
Psal. 142. sericordia Dei filijs Adæ necessaria, quā sola à vulneri-
 bus

bus suis sanantur, quæ vnica in gratiam Dei eos inferre
 potuit. Hanc ergo hodie non solum vidimus, verum
 etiam in Christo Iesu Dei filio, in medio templi Saluatoris
 nostri suscepimus. Quir igitur non lætabimur, & sim-
 ul cum Simeone nostro Deo nostro laudes cantabi-
 mus? dicentes: Nunc dimittis seruum tuum Domine, *Luca. 2. De rhab.*
 secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi
 nostri salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium
 populorum: lumen ad reuelationem Gentium, & glo-
 riam plebis tuæ Israël. Et hæc quidem causa quod Eccle-
 sia tanta hodie lætitia Deo patri, & filio, & spiritui san-
 cto gratus agit. Ad hæc & secundo docet nos, quomo-
 do cum Simeone Deo Opt. Max. obuiam procedere, in
 vlnas suscipere, tum etiam maximè in mentis nostræ
 templum introducere & conseruare debemus, aliàs pro-
 fectò admodum parum profuerit Ecclesiam eum hodie
 apprehendere & complecti in genere. Huc ergo pertinet
 quod personat Ecclesia: Adorna thalamum tuum Sion. i.
 præpara cor tuum, & suscipe regem Christum. Iusta
 profectò & necessaria admonitio. Non enim exterioris *Acto. 17.*
 templi gratia venit rex ille, nec desiderat templum ex la- *Hebr. 9.*
 pidibus manufactum ingredi. Nam quia, vt Paulus re-
 fert, ipse Dominus cœli & terræ est, non in templis ma-
 nu factis habitat. sed ait: Præbe fili mi cor tuum mihi, & Pro. 23.
 oculi tui vias meas custodiant. Sic & in Euangelio: Qui *Ioan. 14.*
 diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus di-
 liget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum
 faciemus. Et in Apocalypsi: Ecce ego sto ad ostium & Apo. 3.
 pulso, si quis vocem meam audierit, & mihi aperuerit,
 cum eo cœnabo, & ipse mecum. Id quod D. Paulus ali-
 quanto apertius ostendit, cum ait: Templum Dei san- *1. Co. 3. 6*
 ctum est, quod estis vos. In hoc ergo templum Christus
 suscipiendus, si tamen cohæredes eius esse voluerimus. *2. Cor. 6.*
 Sed multa ad hanc rem requiruntur: magna diligentia e- *Rom. 8.*
 nitendum est, vt ipsi digne hoc templum præparemus &
 ornemus, vt nobiscum habitet.

Principio quidem & ante omnia curandum, vt fidei lu-
 men in nobis ardeat, igne amoris incensum, catena Spei
 dependeat: hoc modo domus, cuius Deus inhabitator,
 ornanda est. Fide, charitate & spe, fundamenta locanda

Reluctatio

Hier. 9.

in bono & in malo

Exemplum

Abac. 2.

Ioan. 3.

Iacob. 2.

Gen. 6.

Gen. 19.

Matt. 24.

funt. Claudendæ deinde exteriorum sensuum fenestras, ne ventus aliquis perfians lumen extinguat fidei. Illis enim non bene ocllusis, non modò ventus, sed ipsa etiã mors ad nos intrat. Posthæc etiã altare bonæ voluntatis erga Deum simul & homines in eo erigendum est, in quo perpetuò, eleemosynæ, ieiunia, confessiones, preces, & id genus alia spiritualia sacrificia immolentur, coramq; Deo fument. Quatuor item parietes politi, & omnium piè credentium exemplis depicti & ornati sint. Postremo ijs omnibus peractis, videndum, vt soli Deo templum nostrum & sanctificetur & deducatur, sanctificatum dedicatumq; maneat: ementes & vendentes, canes & porci, hoc est, omnes carnales, inuidæ impuræque cogitationes eiciantur. His ita ordine præparatis, haud dubie, non longè à nobis Christus aberit. Et quidem hæc omnia rectè ac pulchrè in his quatuor personis, qui huic sacrificio interfuerunt significatum sunt. Maria gestans puerum fidem significat, quæ Dei nobis misericordiã adfert. Iustus enim ex fide viuít. Et: Qui credit non iudicatur. Ioseph verò qui comitatur matrè, iustitiam denotat, quæ necessario fidè sequitur, illiq; innititur. Sine operibus enim bonis fides est mortua. Simeon obedientiam refert, quæ Christum & Dei suscipit misericordiam. Obedientibus enim præstatur gratia & misericordia: vt in Noë & Loth & videre est, quorù alter à diluuiò, alter à Sodomitico liberatur incendio. Contrà autem ira Dei manet super filios inobedientiæ: vt in vxore Loth videre est, quæ statim pro sua inobedientia in statuam salis versã est. Anna verò quarta in his numero persona est, ornamentumq; domus huius est, perseuerantiam in fide denotat, quam misericordia Dei in potentia sustentat ac nutrit. Qui enim usq; in finem perseuerauerit, hic saluus erit. His igitur quatuor personis in Christiano homine conuenientibus, fide, iustitia, obediẽtia & perseuerantia, hic verè & cù lætitia dicere poterit: Suscepimus Deus misericordiam tuã in medio templi tui. Et quid beatus illo homine? Miserandù ergo & dolendum tam paucos esse qui hæc dignè & verè cogitant, cõtrà tot esse qui vltro oblatam sibi spernãt & reijciant misericordiam. Ideoque merito in illis impletur quod

quod de quolibet impio Dauid ait: Dilexit maledictionē & venit ei: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Quicumq; enim Christum excludit, ianuas Diabolo aperit: hunc iniquum Spiritum, imò nocentissimum hostem introducit infidelitas, suscipit inobedientia, pertinacia, siue impenitētia seruat. Et quemadmodum Christus vbicumq; intrauerit omnia bona secum omnemque salutem adfert: sic contrā semel templum ingrediēs Satan, omne malum, omnemque importat infelicitatē: nempe, superbiam, qua semper efferuntur homines. At post grauiore lapsu ruunt in auaritiam (quæ semper humana pectora discrutiatur) iram, inuidiam, gulam, libidinem, per quæ homo irrationali non ab similibus fit bestia. Super hæc omnia ne omnino suam homo sentiat cognoscaturque miseriam hypocrisis toga eum circundat, vt sibi videatur aliquid esse, cum in veritate nihil sit. O vti nam ergo vel cogitare possemus huiusmodi hominis infelicitatem, haud dubiè perterriti maiori cum diligentia susceperemus quod hodie admonet Ecclesia: Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe regem Christū non modo vt infantulum, sed vt regem & tuum regem, vt qui optimus & gratissimus hospes, qui & in hac lachrymosa valle, & in perpetuum tibi suauis adiutor esse poterit. Ecce horum nos hodie commonefacit Ecclesia, hæc docet, huc etiam statio sancta pertinet, lumina incensa, & quicquid tale hodie sit: quibus mone-mur, vt externum hoc sequentes exemplum etiam fidei lumen nostrum incendamus, in Deum sursum dirigamus, in manibus deferamus: hoc est, externè lucere curemus, non solum Christum confitentes, verum etiam simplices incitemus, vt videntes opera nostra bona, glorificent Deum & patrem qui in cœlis est.

Sed & tertio laborat Ecclesia (vt tandem hoc concludam) hac festa die: oratione simul & prece instat, vt nos quoq; in summum templum, vbi Deus cum suis agminibus cœlestibus perpetuo sedet, afferri & inferri possimus. Id quod merito apud ipsū quærimus & petimus, quia ex nobis ipsis non possumus, tot peccatorū grauati oneribus: attestante Scriptura, q̃ nihil immundū in Dei templum ingrediarur: foris canes, venefici & impudici, Apoc. 2.

- & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium: hi enim regnum Dei possidere non possunt. **Apoc. 22.** Neque tamen desperare eò debemus. Nam & hodie in templo suo Christus sedet, purgans & mundans eam, purificans filios Leui, diuidit eos ut aurum ab argento. **1. Cor. 6.** Mundat inquam, baptisinate alijsq; Sacramentis, oleo S. Spiritus, probat nos igne tribulationis. Quemadmodum in veteri quoq; lege alia igne, alia aqua, alia etiã oleo, nonnulla sanguine & prugabantur & sanctificabantur. Hoc restat, ut manum Domini purgare volentis nos placide toleremus, ac cum Petro dicamus: Domine non tantum pedes, sed & manus & caput. **Matth. 5.** His enim omnibus indigemus omnes. Accedamus ergo ad Deum, & pro hac emundatione precemur, Amen. **Ioan. 13.**

SERMO SECVNDVS.

Hucusque Ecclesia de recens nato lætata paruulo, de natiuitate Christi quosdam festos dies instituit & obseruauit. Hodie verò quartum & ordine postremum de infanti pueritia festum celebrat, sed huiusmodi omnino festum, quod verè tandem & perfectè nobis Christum proponit, conscientiasque nostras ritè munit & consolatur. Sunt quidem & illa non parua quæ præteritis diebus festis de saluatore recens nato audiuimus: at hodie præcipuè videmus nos quoq; eorum bonorū esse participes. Hodie enim Simeon ille iustus lætum illud attulit nuncium: Christum Iesum in hominum salutem missum & datum esse: nec tantum in salutem Iudeorum, verumetiam omnium populorum: nec in honorè & gloriam plebis Israël, sed & in lumen ad reuelationem Gentium. Sed ne vel ex dementia, vel ex auaritia & humana cupiditate Simeon loquutus videatur isthæc, Euangelista antè testatur spiritum sanctum cor eius inhabitasse, cuius etiam instinctu sub huius oblationis tempus in templum venit. Procul ergo dubio, hæc spiritu sancto dictante loquutus est: nec solum hoc nobis attulit Euangelistam, verumetiam suo exemplo quid audito verbo faciendum, quomodo natalis Domini concludenda solennitas admonuit. Quicquid enim ille vel fecit, vel loquutus est, vel credidit: quicquid in seipso sensit, hoc ipsum nobis faciendum, loquendum, credendum & sequendum est.

Si

Si quis ergo hodie non transformatur cum Simeone, alienamq; quasi personam induit : nec Christū verē agnouisse se, nec Natalia hucusq; festa dignē celebrasse gloriatur. Ille enim cū multo tempore redemptionem Israël & sperando expectaret, & expectādo speraret, certus iam venisse desideratum Redemptorem, sine mora expeditē templum, Deo laudes decātaturus ingreditur, ingressus templum quem sollicitē cupiebat infantulum Iesum, & in eo tantam omnis consolationis copiam comperit, vt siue affectum siue mentis inspicias gaudiū, non sibi temperaret, quin visum in vlnas lætabundus susceperet infantulum. Mox Deum benedicit, atque exultans canit, palam testificans se porro nihil in orbe vel desiderare, vel timere. Eo modo senex hic noster hanc festam diē celebrauit, hanc ex primo intuitu & præsētia huius infantuli hausit consolationem.

Sed nunquid non tibi videtur, pie frater in Christo, erectam, ardentem, lucentem, odoriferamq; manibus gestasse ceream? Nunquid non vera isthæc fides, quæ sic aperta atq; expresse de Christo cōfiteretur, quicquid de eo confitendū est, vt nec in minimo hæsitet? Nunquid non ardens ea fides, quæ tam ignitis verbis loquitur? Nunquid non lucens fides, quæ hodie etiam nū quicquid de Christo sperandum, instruit? Sed & nunquid non odorifera fides, tā sancta, tamq; pia, ornata vita? Quid ergo tali dicentius in nobis fides? Quid, inquā, hi ipsi quos portamus hodie incensi postulant cerei, nisi fidem in corde ardentem indefinenter, in verbis lucentē, externis factis odoriferam, & deniq; sine nodis erectam? Hanc ob causam hodie ardentē in manibus circumferimus cereos, eosq; non cōfinitudo seuo, sed pura beneque olente cera, vt exijs quæ extrinsecus facimus, quales esse debeamus ad moneamur interius. Hoc enim requirit in nobis Ecclesia, quæ tales nos erga Christū cupit, qualis erat Simeon. Sed quia Christū corporaliter & visibiliter amplectendum exhibere nequit : ideo ardentē cereos porrigit, in signū ea ipsa credenda, speranda, cōfitemenda, & cōcupiscenda, quæ Simeon tunc credidit, sperauit, confessus est, & concupiuit. Quod si quis hæc non crediderit, sperauerit, confiteatur & concupierit, nequicquam,

& sibi ad ignominiam perpetuam, cereum in manibus portauerit. Operapretium ergo videtur illud ipsum Simeonis exemplum aliquanto fusius cogitandum proponere. Effet quidem nō indignum, copiosius aliquid de virgine matre, vt cuius hoc Euangelium meminit, & cui hæc dies sacra est, meloqui: sed quia eius laudes præteritis sæpe annis declamaui, nec vlla præterea per totū annum Simeonis in Ecclesia habetur memoria: visum est vna vice integrè ac plenè eius vobis exemplum proponere. Quin tū quilibet piè Christianus ex hoc Simeonis exemplo facillè colliget, qua deuotione, quæue mētis lætitia virgineum pectus dum filium in templo sistit, impletum fuerit. Si enim vel vna diuinæ consolationis guttula, & Christum vidisse tantum vel vnus momenti spatio, tanta humanum pectus replet lætitia, vt obliuiscatur omnium: quid tandem plenitudo diuinæ voluptatis faceret? Certū est, quod si ea quæ Simeon in se sensit & fecit, ijs quæ in beata virgine matre facta sunt, cōtuleris: haud secus esse, quā si vnicam aquæ guttam, ingenti alicui flumini comparaueris. Semel Simeon infantulum & vidit & complexus est: Maria quotidie. Non ergo dubiū, omnia quæ in Simeone: & perfectius & plenius fuisse in virgine. Id quod in illius laudibus perspicuum fit, quibus eque magnificè & piè de Deo Deique mirabilibus confitetur Domino, atque hic noster Simeon: imò quod hodie tandem percepit Simeon, illa iam dudū percepit & sensit. Non ergo minus illa Simeone Spiritualis gaudij & consolationis in se considerauit. Quicquid ergo de Simeone dixerō, non aliter accipite, quā quod perfectius aliquanto intelligi queat de virgine. Sed quid de Simeone testatur Scriptura? Accepit (inquit Euangelista) eum (puerum) in vlnas suas, & benedixit Deum dicens: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Lucæ. 2.

Hic mihi primum considera, senem hunc, vt primum Christum intuetur, suspicere, oculosque in Deum dirigere, quasi iam certum, Deum Optimum Maximum omnia nobis per hunc vnigenitum suum Christum datum & donaturum esse. Nec solum Deum suum, do-

minum

minum confitetur, verum etiam illius se seruum testatur. Atque ita confiteri necessum est. Neque enim satis est, si scias quod Deus Dominus noster: nisi & seruos esse illius laborauerimus. Multi sunt Deum Dominum agnoscetes & confitentes, quos tamen dominus non agnoscit seruos. Matth. 7. & 25. Luc. 6. Quod maius quid est, inuenias nonnullos in Dei ministerio, qui tamen minime seruos se Dei dicere queant, cum non Deo, sed mammonæ seruietēs, quæ sua sunt quæerunt, nonnunquā etiā aliena. Orant quidem & ieiunant vt hypocritæ, sed propter humanam gloriolam. Ministrant in Ecclesia prædicando verbo, administradis Sacramētis, & cæremonijs, sed propter externum commodum & lucrum. Qui etiam aliquando crucē in mundo ferunt, persecutionē patiuntur, sed non propter Deum, nec ex fide, sed propter reditus. A peccatis abstinēt, formidine pœnæ, non Dei amore. Ecce hi omnes in Dei ministerio, nec tamen vllus horū verē quod Dei seruus sit, poterit dicere. Quādoquidem alium sibi præter Dei voluntatem finem constituant, cum tamen in Deum omnia dirigenda sunt. At verē Simeon se Dei seruum potuit dicere: fide distante quod Deus Dominus suus, & propria ipsius conscientia testante, quod ipse seruus eius. His in homine coniunctis, fide & bona conscientia, confidenter licet Deum precari. Sic enim Ioannes: Charissimi, inquit, si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum: & quicquid petierimus accipimus ab eo. Nō quod benefacta nostra eam confidentiam tribuant, sed quia talis duplicia tenet testimonia: fidei & bonæ conscientiæ. tum quod duplici promissione gaudet: vna quæ creditibus facta: altera quæ in mādatis Dei sedulis promissa. Et quidē promissiones à Deo ijs, qui credit & sola miseratione diuina sperant, factæ, per se ipsæ omnino certæ sunt: sit tamen sæpenumero, vt quis impia vita sua seipsum ijs indignū minimeq; capacē reddat. At conuenientibus fide & bona cōscientia, hic duplici gaudet promissione. Atque hinc est quod Simeō se quoque dñi seruum, non tantum Deum Dominum vocat, quibus & fidem suam, & conscientiam bonam simul testatur. Sic dicit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum

Matth. 6.

1. Ioan. 3.

verbum tuum in pace. Hic ergo fructus non vnus, sed plurimus conspicitur fidei.

Sed hi fructus sunt. Primum, quod Simeon se totum Dei voluntati tradit. Secundo, quod temporanea porro nihil æstimat, nec in his delectatur. Tertio, quod nihil in terris timet amplius. Sed nõnne hi preciosi fructus videntur? Singulatim peruideamus omnia. Primo nõ inanis nec vacua gloriatio, quod Simeon se seruum Dei dicit. Nam quod verbis significauit, factis ostendit: quum se totum Dei voluntati committit, paratus non solum facere & pati quod vellet, sed etiam mori, quando vellet Deus. Nunc dimittis, inquit: nunc porro ego seruus tuus, tu mihi Dominus: sola enim tua voluntas, veluti apensum quid ante oculos erit. Videmus ergo veram obedientiam, plenam suæ propriæ voluntatis abdicationem. Perfecta enim hic sui ipsius abnegatio, vbi corde si

Matth. 6. mul & ore dicere potest homo: Tua voluntas fiat. Et cū
Psalm. 107. Psalmista: Paratum cor meum Deus, paratum cor meū.

Psallam tibi, laudem dicam nomini tuo. Ecce cor meum & pati & mori paratum. Hanc obedientiam etiam Paulus ostendit: Paratus sum non solum alligari, verum etiā

Act. 21. mori pro nomine Christi. Et aliquanto expressius in Euangelio Christus: Pater nõ sicut ego, sed sicut tu vis. Et

Matt. 26. ad discipulos: Ecce appropinquat qui me tradet: Surgite, eamus, subaudi, obuiam hostibus. Hanc deniq; & Abraham olim in oblatione filij exhibuit obedientiā. Et hic

Gen. 22. noster Simeon. Hanc ergo à nobis Paulus exigit, scribēs

3. Cor. 6. Corinthijs his verbis: Commendemus nosmetipsos in omnibus vt Dei ministri, in toleratīa multa, in afflictionibus, in necessitatibus, per arma iustitiæ, per gloriam & ignominiam, per conuitia & laudes.

Hic primus fidei fructus est, qui in Simeone conspicuus: sed tamen non est solus aut vacuus. Vt enim primum agnoscit Christum, non iam in mundo quærere illum, sed omnia quę in mundo negligere, non affici mundi amore, temnere diuitias, honores, spernere voluptates, & si quid his annexum: quin ipsa hæc præsens vita tanquam carcer erat, quo liberari optabat. Solus illi Christus vita erat, voluptas & gaudiū. Atq; hic secundus fidei fructus est, qui omnium terrenarum nauseam pio mouet,

uet,

uet, Dei vero celestiumq; amorem excitat. Mūdus circa multa anxie occupatur, & saepenumero frustra. Nam **Eccle. 2.** quicquid sub cœlo, vanitas est: timens Deum, in solo Deo quiescit: hic illius saturitas. Et hoc quidem vnum illud, cuius Christus meminit: Vnum est necessarium. Hoc vnum inuenit Christus, ideoq; reliqua omnia ne- **Luc. 10.** gligit. Neque verò Simeon iam nulla creatura mouetur, aut à Deo diuellitur: sed palàm confitetur, se nihil omnium timere, porro in pace viuere. Nunc dimittis, inquit, seruum tuum secundum verbum tuū in pace. quasi diceret, Nunc pax & securitas, nunc pacem video, pacē sentio, vnde nec mundum, nec diabolum, nec mortē timeo. Hic mihi Simeonis inspicere fiduciam. Neque enim secus loquitur, ac si iam tum possideret & inhabitaret cœlum, cum tamen ratione temporis in medio hostium viueret. Sed vnde isthæc fiducia homini, nisi ex certa fide mentis? Eiuscemodi validam mentem in Paulo etiā conspiciamus. Scimus, inquit, quia diligentibus Deū omnia cooperantur in bonum. Et mox: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et iterum: Certus sum, quod nec mors nec vita, nec angelus, nec principatus, nec potestas, nec vlla alia creatura nos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Videmus ergo triplicem fidei fructum. Sed quid beatius quàm hos ipsos fructus in nobis habere? Consideremus autem quantum nobis ab illa fide deficiat. Pauci enim, procul dubio, qui eo modo suam voluntatem Dei voluntati committant: pauciores vero ita ab amore terrenorum liberi: paucissimi, qui ita imperterritè pericula & aduersitates sustinent. Quin contrarium in nobis videre licet: propriam nostram voluntatem sequimur, terrenis incumbimus, in aduersitate succumbimus, & relabimur. Tantum ergo in hoc stadio Simeon nos præcurrit.

Sed quia nonnihil de fructibus percepimus, ipsam arborem vnde ille fructus sunt, aliquanto contueamur diligentius. Quia, inquit Simeon, viderunt oculi mei salutare tum. Hic fidem suam confitetur senex, hic aperit quod alto sub corde latebat: vbi quid de Christo crediderit, vides clarissimè. Non eum saluatorem aut Redemptorem solum, verumetiam ipsum salutare: tum nec ho-

minum

Rom. 8.

minum solum, sed Dei salutare, quod ipse Deus dat, nominat. Sed nūquid imperfectum quid a Deo proficiatur? Atq; hinc patet Simeonem non de corporalibus loqui oculis (his enim Spirituale illud & Deitatis salutare videre nequiuit) sed de fidei oculis loquitur. Hoc interiore visu Christū vidit salutare Dei. Hoc ipsum salutare & Iacob & Dauid expectarūt. In hoc Iſaias exultauit, sicut & omnes verē credētes. Est ergo fides radix, vnde tot in Simeone fructus succreuerunt. Hanc qui non habet, nunquam sese plenē Deo cōmittet, semper & ubiq; Creaturis adhærebit, nec denique in aduersitate persistet. Sed reliquum de Simeone audiamus.

Gen. 49.
Psal. 118.
Isai. 35.

Viderunt, inquit, oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraēl. His em̄ duobus populis habendum erat vnum salutare. Gentibus quidem lux necessaria, quod in tenebris peccatorū & idolatriæ altum sepulti essent. Hæc lux Christus ipse est, in cuius splendore differentiam boni & mali videre possunt. Primum enim peccata, & egestatem eorum detexit, deinde gratiam regnumque suum Euangelizauit his. Sed & Iſraēli ingens gloria Christus ex eorū natus sanguine, in terra eorum educatus, in eorundem lege circumcissus. Quæ omnia in infantulo isto per fidem peruidit Simeon, ideoq; mirandū minimē, tantū lætari senem. Sed nos hoc illo pauperiores, quod his caremus oculis, nec cōsideramus quæ bona accepimus. Vnde nec Dei nos voluntati tradimus. Spiritale dñi consolationē non gustauimus, ideo creaturis etiamnum inhæremus. Quod omnia nobis in Christo nō credimus, ideo in periculis & aduersitatibus timidi succūbimus. Cōplectamur ergo Simeonis exemplū: suscipiamus Christum: vt nos sua gratia illuminet, precemur: vt fides nostra ardēs luceat, laboremus. Diligētius in hoc incumbamus, ne à Deo Opt. Max. oblata dona nostra negligētia perdam⁹.

TERTIVS SERMO.

SI hodiernum, Charissimi, Euangelium dignē, vt res postulat, cogitare possemus, superuacaneū esset, multis, quorū Ecclesia hodiernam festiuitatem tanta cum solennitate et insuetis cēremonijs celebrat, ostēdere: nec

interro-

interrogaret quis qua ratione eam digne perageret. Duo enim hæc, causam scilicet & originem huius festi, & vsum tam aperte Euangelium indicat, vt quilibet diligentius considerans fateri cogatur, Ecclesiã iustis hodie de causis admodum lætari: imò etiam videre licet, quid faciendum hodie. Vnde necessario Euangelium hoc diligentius consideratur, & perpenditur. Non enim ritè huiusmodi festa obseruamus, si vel causam cur instituta sint, vel quid à nobis exigant ignoramus. Negligens ergo hæc, festos nostros dies non Christianè, sed vel Iudaico vel Ethnico obseruat more. Iustum & æquū profectò nobisquæ pernecessarium, vt fidei cōfessione à Iudæis & gentibus diuisi sumus, ita etiam festa nostra piè non illis conformi modo peragere. Sed, dolor, si inspicias penitius, contrarium inuenias: nempe impiè magis & abusiue Iudaico vel Pagano more, quàm religiosè quodā dies obseruari. Nūquid. n. hæc Iudaica superstitio, nudis cæremonijs, neglecta earum significatione, insistere?

Sed & nunquid nō paganissimus, festa nostra inerti otio, intemperantia, alea, alijsquæ id genus voluptatibus consumere & perdere? Sed quis tam cæcus, quin videat hæc apud nos vsu venire maxime? Proinde iterum atq; iterum moneo & hortor, hoc diligenter consideremus Euangelium, quod rectum verumq; festorum nostrorū vsū doceat, quemadmodū id quoq; breuiter ostendā.

Complectitur ergo hæc Euangelica lectio tria, in quibus totum hoc festum consistit. Primum purgatio est Mariæ. Secundum oblatio Christi. Tertium testificatio Simeonis. Tria profectò egregia spectacula, quæ non solum transformationem quandam, verumetiam multam consolationem adferunt.

Si ergo cui noua miracula audire voluptas est, huc accedat hoc auditurus Euangelium. Si te mundi sequi ludos vexat ardor, vbi nullum commodum: multo magis religio nostra ad optima & salutaria diuinitatis quæ plena spectacula te incitabit.

Vt autem intelligatis melius, considerate duas hic Lege Iudaicas induci, alteram de purgandis scæminis, alteram de primogenitis. vt Leuit. 12. & Exod. 13. videre est. Hæc duæ leges cōmunes Iudæis omnibusq; hominibus,

bus. Vnde mirandum nō erat, virginem Mariā post partum purgandi se & offerendi filij gratia templū ingredi. Nihil illis temporibus nouum, cum idem facerent omnes: sed nobis qui Christi censemur nomine, & magnum quid & mirabile ostenditur. Hic enim tandem in agnitionem & Mariæ, & filij eius peruenimus. Scientes non subijci legi purgationis puerperam Mariā, quæ virgo ante partum, in partu, & post partum permansit: sic nec Christum indubitatum Dei vnigenitum legi huic subiectum, sed Legis autorem & dominum. Nihilominus & mater & filius sponte sese Legi subiecerunt, eandemque vt alij impleuerunt.

Hæc autem cogitemus seduli: magna enim subsunt mysteria. Si ægrotus medicum, impurus purgationem, peccator pœnitens satisfactionem sustinet, nemo miratur. Quod si sanus, purus, & iustus ea perinde ac si ægrotus, impurus & peccator esset, faceret: nemo non miratur. Sic & in hodierno Euangelio.

Stupenda & ingens humilitas, virginem Dei genitricem, tot gratijs, tot ornata virtutibus, non se cæteris prætulisse mulieribus, sed magis vt immundam alijs comparauisse se. Potuisset enim optimo iure se excusans in hac sententiam dicere: Quid mihi cum vestris, immunda, la uachris, quæ nec concipiēs, nec sum scædata paries. Quæ fontem ego virguncula & originem puritatis in mundū peperī: qui idem ecce præsens est, purgationem instituit criminum. Cur hoc templum ingrederer, quæ dominum veritempli pariens, hoc ipso in templum sancti spiritus sanctificata sum. Hæc, inquam, his quæ similia virgo mater respondere potuisset: sed nihil horum ne cogitauit quidem, nedum dixerit. Sed o Deum immortalem, quæ hic tantæ virginis tanta humilitate nostra retunditur superbia? Primo quod omnes pudet medicinæ & peccatorum ablutionis, cum nemini non notissima nostra sit impuritas.

Deinde etiam quod tanta pertinacia Dei præceptis repugnamus, tam leuibus de causis ea contumeliose perfundamus, cum tamen ea sit naturæ nostræ imbecillitas, vt non solum nihil boni operemur sine legibus, verum etiam in omne malum incidereamus. Neque vero alligari his,

ri his, sed liberi esse omnes volumus.

Neceſſe haberem de omnibus hic Legibus loqui, ſed temporis breuitate prohibeor. Tantum ergo vnum exemplū noſtrę leuitatis in Lege de purgatione adducere ſufficiat. Quot noſtra grate leues mulierculę, quę nullo vel honeſtatis, vel decōris reſpectu mox à partu ſeſe in hominū immiſcent frequentiam? Rurſus quot inhumani viri, qui infirmas & pro perpeſſis exantlatisq; cruciatibus ſemiuivas puerperas ante tempus eiſciunt: taceo interim, ſtatuto tempore ab ijs abſtineant. Sed dicit quis: Quid nobis cum lege Moſi? Quid ad me, quę Chriſtus ab ea liberauit? Verum id quidem, ſed nunquid ideo pecuino more viuendum, omnisq; honeſtas & ordinatio bona peſſundanda eſt, quod à Lege Chriſtus liberauit? Nunquid non Pauli præcepto in medio impuri mundi peruerſorumq; hominū vt luminaria lucere debemus? Non nunc quidem ſubiecti ſumus Legi: ſed quid ergo? Neq; enim & virgo hæc ſubiecta erat: nihilominus ſeſe illi ſubmiſit. Sed nunquid peccauit, quæ legem impleuit à lege libera? Minimè gērium. Nec tibi id vitio verteretur, ſi antiquitate & honeſtate commendabiles obſervationes diligentius obſeruares. Non te Lex Moſi cogit ac ligat ad ea, ſed honeſtas, ſed natura, ſed neceſſitas, ordinatio, obedientia ſedula, charitas proximi, & euitandū ſcandalum ea à nobis exigunt.

Quod ſi veri Chriſtiani ſumus, cum Maria nobis Eccleſiæ cæremoniæ vnanimiter obſeruandæ ſunt, quæ publicæ ordinationi commodant, nomen noſtrum commendant, cultum Dei in nobis excitant, pacem conſeruant, ſcandala propulſant, carnis petulatiā infringunt, & ad laudandum celebrandūq; Deum inflammant.

Vides ergo Mariæ purgationem nouum quid & magnum eſſe, ſi noſtrā vitam comparaueris. Nec admirandum ſolum, verum etiam plurimum conſolationis & fiducia cōfert. Primum mulieribus, deinde nobis omnibus. Mulieres quidem hæreditariam habent maledictionē à prima matre Eua, ideo purgari neceſſe habent: ſed hæc virgo illa maledictione libera, ſed tamē vt alias puerperas cōſolaretur & exēplo doceret, luſtrandam ſe obtulit. Hæc ergo mulieres triſtitia indutæ recogitate, non

1 vobis

vobis Dei matrem deesse, nec nauscare vos. Sic haud dubie consolationem & resurrectionem animabus vestris inuenietis.

Matt. 6.

Sed quid de mulieribus sermonem instituo, cum nemini non consolatoria hæc virginis est humilitas? Si te lex grauat, in Christum eiusque matrem respice, qui se sponte illi, nec semel submiserunt. Quid grauaris, aut recusis obedire Legi, cui ipse Dei filius vnaque cum illo mater selectissima obediuerit? Quotidie ut Dei voluntas fiat precamur: sed non illa fit, nisi prius nostram voluntatem mortificata aut fracta. Frangitur autem per leges & statuta Magistratus. Cauemus ergo ne id facto impediamus, quod petimus oratione.

Sed non modo admiranda nobis virginis matris est purgatio, verum etiam vehementer ad piam vitam utilis, si secundum spiritum interpretari licet, sine quo parum profuerit istud spectaculum. Id quoque audiamus. Triplex Iudæis de purificationibus lex erat. Prima, ut puerpera septem diebus à partu à conuersatione separaretur hominum. Secunda, ut colloquendi & conuersandi cum familia tantum concessa licentia, ab egressu domus, & ingressu templi arceretur tamen usque ad tricesimum diem. Tertia, triginta quoque peractis diebus, templum ingrediens, offerret agnum aut par turturum aut duos pullos columbarum. Hæc omnia ad nostram eruditionem faciunt. Primum enim hinc discimus, ne quis immundus aut peccator ad Deum accedere, aut illius regnum ingredi præsumat, nisi prius septem capitalibus peccatis per septiformem virtutem ablutis, ut superbiam per patientiam, auaritiā per eleemosinam, Luxuriam per Dei timorem, gulam temperantia, iram mansuetudine, odium dilectione, desidia fortitudine recompenses.

His septem diebus alios tres adde, hoc est, tres cardinales virtutes, fidem, spem, Charitatem, aut trinitatis fidem. Postea etiam tribus & triginta annis quibus Christus in mundo vixit, & crucis mortem passus est, additis plenum nostræ emundationis tempus inuenies.

Ingressurus ergo templum, primum agnū Deo offer, hoc est ipsum Christum, semel pro omnibus nobis occisum & immolatum. Deinde si matrimonio copulatus & turturum aut columbam offer. Turtur amisso vite socio, reliquum

liquum tempus vivit solitarius: sic & tu coniugi fidem præsta, & quemadmodum columbus scæmellam in incubandis ovīs & educandis pullis adiuvat, ita tu quoque pro educandis ritè liberis mutuam operam præsta. Non hoc mulieribus solum, sed & maribus dictum est. Si enim uxorem tibi vis esse turtorem, filijs tuis columbam: necesse est tu quoque uxori turtur, & liberis tuis colubus sis. Sic & super te veniet benedictio iusti, de qua David: Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, si
 Psal. 127.
 lix tui sicut novellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ. De his verò satis hoc loco. Nunc porro oblationem Christi audiamus non minus ipsa virginis matris purgatione mirandam, qua etiā nō minus illa ambitio & superbia arguitur nostra. Sed nec miranda solum, verum etiam consolationis plena. Bis enim Christus nostri causa oblatus, primo in templo tanquam sacerdos, vti modò audiimus. Secundo in ara crucis, vti hostia. Quid ergo desperamus aut mœrore afficimur, & pontificem talem sine peccato, & hostiam Deo Opt. Max. gratissimam habentes? Merito igitur cum Davide Ecclesia canit: Suffecimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Verè misericordia & bonitas. Triplici enim circumdati miseria eramus: Cæci, ægri, captivi. At contrā Christus attulit sapientiam, fortitudinem & redemptionem. Hac nos Christi oblatio consolatione reficit. Ad hæc docet nos, ut nosmetipsos offeramus. Vivam enim deinceps Deus non emortuam requirit hostiam.

Psal. 127.

1. Cor. i.

Rom. 12.

Tertium quod hodie cogitandum & meditandū est, testimoniū senioris huius de Christo est. Neq; enim miraculo caret, tanta & tam multa in hoc humili infantulo senem cōspicere, vnde illi tam egregia attribuit epitheta. Sed hoc etiam & mirandum & consolationis plenum est. Salutare, Lumen mundi, & gloriam plebis Israël, nominat. Iam id certam eximiamque consolationem adfert nobis, præsertim morituris. Si enim credidero quod Christus salutare, lumen, & gloria suorum credentium est, neutiquam mortis horrore concutiar.

Sed ne quis de hoc Simeone nostro eiusque testimonio dubitet, satis Evangelista ostendit, mereri eum fidē. Primo enim iustus fuit. Secundo, non ex seipso, sed ex

1 2 Spiri-

Spiritu sancto loquutus est. Tercio, non seipsum ad hoc ingressus, sed à Spiritu sancto adactus est. Et deniq; quod Christo non in angulo aliquo parafiti more, sed in publico, in templo, quod omnes confluebant, hoc testimonium perhibuit. Hinc ergo discamus fidem nostram confirmare, & ad exemplum Simeonis vitam instituire, tū recte ad Deum orare, eius verbum diligenter audire, illi fidem habere, illiq; intendere, sedulo sacras aedes visitare, Christum & vultus complecti, confiteri, & meti includere. Sic sic in pace hinc emigrabimus.

Hæc ergo significant cerei nostri ipsaque processio. Cereus enim qui ceram habet, lychnum & ignem, triplicem in Christo naturam designat. Cera enim, quod purissimam carnem verumq; sanguinem ex virgine matre sumpferis, lychnus vero sanctissimam animam, Ignis diuinitatē. Quæ tres naturæ non separantur. Nō. n. sufficit harū hanc vel illā credere & confiteri, sed simul tres cōfiteri necesse est. Et hæc quidē fides in mentibus nostris ardere debet, & foris in manibus ferri, hoc est, corā hominibus palā confiteri, tum etiā in bonis operibus luce, vt Christus in Luca admonet: Lucernę iij manibus vestris. Nequicquā enim fides sine bonis operibus prodest, vt Iacob⁹ testatur: imò cereus sine igne, sine lumine est. Sedulo ergo et diligētius incumbendū, vt semel in nobis fidei accēso lumine, perpetuò ardeat & luceat, extinguatur nunquā. Hoc ipsum præstet de⁹, Opt. Max. Amē.

QVARTVS SERMO.

Nemo in Euangelium hoc attentē cogitās, quā fuerit lætum, sanctū, & per omnia piū spectaculū, vbi dñs noster Iesus Christus à parentibus in templum delatus, à iusto Simeone cum ingenti animi sui lætitia, cū interna mentis affectione susceptus est perpendens, mirabitur, nos Christianos sepositis hodie seculi negotijs hoc ipso spectaculo solum occupari: sed nec inane quid vel inutile arbitrabitur, nos tā conuenientibus externis caremonijs hanc festā diem celebrare, & quasi corā fieret repræsentare, quod olim completū credimus. Certum est enim, quia hodie primum benedictum ventris sui fructū Maria in templo omnibus conspicuū obtulit & exhibuit. Et quis in Christianis sibi temperabit

accut-

accurrere, hunc pretiosissimū thesaurū contueri: & maxime, quando nobis hoc ipso plurimum commodatum est? Deinde etiam quando constat, hodie primum domini Iesum templum ut sacerdotem & mediatorem nostrum intrauissē, quam culpam & quod inexcusabile facinus incurrimus, si non vel saltem affectu obuiam illi nos exhibebimus gratosq; nos sui aduentus declarauerimus? Insuper cum commune gaudiū senex ille Simeō omnibus Iudæis simul & Gentilibus annunciat: cur non & nos participēs tātæ letitiæ tantiq; gaudiij efficiamus? Nūquid nō & nos homines æquē atq; illi vel Iudæi vel gentes, qui hæc illo tēpore corā viderunt? Nunquid non & nos indigemus Dei gratia perinde atque illi? Quin etiā quod maius est, cum Christus singulari quodam modo edictus est, lumen ad revelationem gentium: non dedecet nos nostri in manibus ardentes cerci, si tamen per hæc significare voluerimus, nos credere & confiteri, qd Christus Iesus verum lumen & salutē nostrum sit. Et quid multa? Si enim patres nostri tantum scire Christum templum suum, Catholicā Ecclesiā futuritunc seculi ingressurum esse, gauisī sunt: cur non peracto iam & cōpleto quod illi futurum esse habebant lætabimur? Ad hæc duos propheticos testes habemus, qui tam clarē de hoc festo vaticinati sunt, ut meritō videantur expressis nominibus annunciare, & digito voluisse mōstrare. Alter horum Aggæus alter Malachias, qui ambo illo ipso tempore viuebant, cū post captiuitatē Babylonīcā hoc illud templum ædificaretur, in quod salutē nostrū Christus delatus & à parentibus suis oblatus est. Iam vero architectus huius templi, quidam perfecti erant, qui ad operam incitarent, consolandoq; ingentem honorem, egregium decus quod huic templo ex aduentu Messie aliquando debebat accedere, annunciant. Pergerēt in cōcepto opere, ne vel laboris vel impensæ pœniteret, quæ omnia expectatur Messias esse recompensaturus. Nec moueat quod nō possent tantum decoris illi tēplo tribuere, quantum Solomon olim suo attribuisset, quod Messias satis illi decoris & honoris esset allaturus.

Hæc dicit Deus Zebaoth, inquit Aggæus, adhuc mo Aggæ. 2.
dicū, & ego commovebo cœlū & terram, & mare & ari Heb. 12.
dam,

Malach. 3. dam, & mouebo omnes Gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus. Et in Malachia: Ecce ego mitto angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quē vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis.

Vidētis ne ergo, quā clārē & euidenter hi duo prophete hoc festum prædixerūt? Vterq; enim Christum in aliud templum venturū esse his verbis promisit. Id quod hodie factum est. Si ergo antiquioribus gaudium fuit, quod Christum in templum ingressurum audiebant credebantque: cur non etiam nos lætitia afficeret, quod venisse iam olim & audiuius & nouimus? Multo enim melius est, bonum aliquid habere, videre, possidere, eoque vti: quā illud in expectatione futuri temporis prestolari. Quod enim quis iam habet: certō possidet, nec sperare necesse habet. Omnis autem incerta spes est, fallitque sæpenumero. Quinetiam certam spem esse concedam: interea tamen carentia desiderati expectantem cruciat.

Cū ergo hæc ita sint: nemo nostrum sine fructu hanc diem prætereat, multoque minus inutiliter consumat: sed contra cum diligentia, quid singula huius Euangelij velint & significant consideret & cogitet.

Et quidem necessariō id agimus omnes. Neque enim hodiernæ diei ceremoniæ sufficiunt, vt ijs tantum tanti festi solennia piē & Christianē compleamus: vt interim taceā, otio, crapula, vt gastrimargi solent, transigi nō possent. Minimē. Hoc enim festum eos requirit, qui & credāt, & loquantur, & faciant, quicquid hæc quatuor personæ, Mariā, Ioseph, Simeon & Anna, primi obseruatores illius crediderunt, loquuti sunt & fecerūt. Proinde & mihi aliquid de tribus hisce rebus dicendum arbitror.

Tria in quā hæc à nobis exigit festiuitas, si modō piē eam celebrare animus est: ita credere, loqui, & facere, quomodo quatuor hæc personæ fecerunt. Fidem requirit, vt quemadmodum illa in omnibus, ita in hoc quoque fundamentum sit & primas teneat. Nam qui non crediderit verē, hanc faciliē præteribit historiam, & sciens negliget, dicetque: Vt quid moror, & frustra tempus perdo? Nulla enim hic me reficit nouitas.

Communis Iudæorum lex erat, mulieres post partum

munc-

munera sua & dona offerrent in templo, tum in primo Leui. 12.
partu infantulos suos, si masculi, domino offerrent & si Exod. 34
sterent. Sed nec nostris quoque temporibus rarum, senes aspectu infantium refici & exhilarari. Quid ergo si Simeon etiam in hoc infantulo latatur & exultat? Hæc ergo quilibet secum cogitabit, qui sine fide superficialiter hanc viderit historiam: Sed quid contra canit Ecclesia? Senex puerum portabat, puer autem senem regebat.

Vides ergo multo aliter sese rem habere cū hoc puero quàm cum alijs pueris. Senes portare pueros rarū nō est. At senem regi à puero, certè rarum simul est & mirabile. Sed enim hoc nemo præter hunc vnum puerum Christum saluatorem nostrum potest. Iam quid eadē Ecclesia de matre infantuli cantet, accipe: Ecce inquit illa, miraculum nobis propositum: vt virgo concepit mater Domini, viri commixtionem nesciēs. Stat onerata nobili onere, confessa se matrem, viri nescia. Vt virgo concepit, vt virgo peperit, virgo post partum permansit.

Auditis ergo etiā in matre Maria multo secus sese rē habere quàm in alijs fœminis. Magis ergo quod in hac audimus historia, quā quod in ea videmus cogitandum est. Quicquid enim hic videtur extra miraculum est: sed quod auribus percipitur rarum & mirandū est, imò consolatione plenum est. Nā oculis corporalibus nemo hanc Christi matrem virginem adhuc esse, imò & Dei quoque matrem cognouit, multoquē minus hunc infantem Messiam credit, cū non corporeis oculis id datur percipi, sed per solam fidem intelligi.

Tecum, quid angelus huic virgini dixerit, quid Simeon de hoc infantulo credidit reputa, & inuenies multo maiora in hac recondita esse mysteria, quàm possit oculis cōcipi. Audiamus ergo & propheticū vaticinium, & senioris huius de Christo testimonium, vt fiat perspicuum quid hoc festum de Christo doceat credendum.

Sed prophetae Aggæi verba audiuius. Hæc dicit Dominus: Adhuc modicū & ego commouebo cælum & terram. Et iterum: Et veniet cunctis desideratus gentibus, siue: Qui omnibus Gentibus in expectatione fuit. Quanquā autem Latina translatio non per omnia cōcordet cum Hebræo, & pro Desideratus veniet, legat, Ele-

Aggæ. 2.

Ioan. 12.

Act. 8.

ita venient, & desiderabilia Gentium: certum tamē est iam inde ab origine omnes in Christum sperasse. Tum etiam minimē obscurum Prophetam his Christo loqui, & de donis per eum hominibus communicandis vaticinari. Quanquā enim Iudæi de diuitiarum copijs, quibus hoc templum Gentes honorarant, intelligere videantur, non tū hoc secundū Propheticum spiritum sufficit. Negari quidem non debet hoc templum in maiori reuerentia & veneratione, priore illo fuisse: multi enim de longinquis partibus Gentes Hierosolymam visendi illud gratia proficiscebantur, & in eo adoraturi, quemadmodum id testantur, qui vt Christum viderent eō venerant, & Eunuchus præfectus Reginae Cādacis Aethiopum. Adhæc hoc ipsum templum multis donis & priuilegijs honoratum, vt à Regibus Cyro & Dario, Magno Alexandro, tum à multis alijs Syriæ Regibus & Aegypti, præcipuē Herode, deinde etiā à multis Romanis principibus potētissimis. Negari, inquā, non potest, hoc modo templū hoc honoratum fuisse. Sed nunquid Deus ita requirit Gentium argentum & aurum? Minimē. Non illi de auro vel argento cura, sed de redimendo populo suo à peccati tyrannide magna cogitatio. Quid enim consolationis fuisset illo tempore pijs, si temporanea solum, diues & politum templum à Deo fuisset promissum? Non hæc sperabant, sed promissum Mesiā expectabāt, huius dona desiderabant & spiritalia & sempiterna. Hinc ergo Prophetę sentētia et mēs est, venturū in hoc templū Mesiā, in hoc etiam pacē suam per Euangeliū omnibus annunciatum esse, ideoque fore vt Gentes non solū dona sua verum etiam seipsos Deo in hoc templo offerret, cōtrā & Deū suis hos honoribus cœlestibus, inquam, & spiritalibus bonis exaltatum esse. Atque hæc omnia non clām nec in abscondito, sed palām, & commotione omnium elementorum futura esse. Ecce, inquit Deus per os Prophetę, commouebo cœlum & terram, &c. Id quod factum est. Quemadmodum enim olim Deus Legem promulgaturus omnia commouebat elementa: erat enim tonitrum & fulgura in cœlo, concutiebatur terra, exultabant colles vt agni, pluit manna, petrę conuertebantur in aquarum flumina, Iordanis conuertebatur re-
tortursum;

erorsum: sic etiam hic cœlum & terram cômouit, nouā humanis inscripturus legem pectoribus. Nato enim in mundum Christo, ecce mox angeli aderant e cœlo, pastores, ut Christum quærent, admonentes, deinde etiam accelerant tres ab oriente magi.

Sic & Christus, cum à parentibus in templum offer- Lucæ. 1.
retur per Spiritum sanctum mouebat fidelium mentes,

ut accurrerent: sed maximè cum iam prædicare auspicaretur. Tandem etiam eiusmodi commotio fiebat in domini passione, dum sol obscuraretur, terra concutiretur, petre scinderentur, mortui qui in monumentis erant resurgerent: tum etiam in ascensione, dum cœlum aperiretur, & nubes sese ad suscipiendum creatorem inclinarent. Post ea quod præcipuum huius erat: dum Spiritus sanctus, Apostolorum & mentes & linguas accendens, ut diutius à testificatione cohiberi nō possent, descendebat. Hæc ergo Propheta vidit, & credentibus annunciaré voluit. Hæc igitur pie Christianus cogitet, & mox apparebit quam fidem præsens requirat festiuitas: nempe ut credamus hunc ipsum esse, in quem omnes, quotquot vnquam fuerunt, sunt, & erunt, crediderunt & sperauerunt. Cuius fidei causam in calce

Psal. 44.

huius Euangelij audituri sumus. Sit ergo hucusque satis dictum, quid nam Aggæus de hodierna festiuitate prædixerit. Audiamus deinceps quid Malachias vaticinetur de eadem. Hic verò apertius agit illo priore. Non enim vêturum in templum suum tantum, verum etiam nomina eius & epitheta pronunciat. Deinde etiam quod officium illius, & cur venturus sit. Primo Messiam hunc dominatorem dominum dicit: nec simpliciter dominum, sed huiusmodi, qui cunctis sit desideratus hominibus, qui in omni mansuetudine omnipotens sit, ita planè ut neminem pro sua terreat potentia, sed qui omnes alliceat bonitate, ut speciosus præ filiis hominū, in cuius labijs gratia diffusa sit. Secundo etiam angelum dicit Messiam, siue pacis nuncium & testamenti ostendens non modò Deum illum, verum etiam hominem esse, in hoc in mundum missum, ut pactum seu fœdus quod Deus cum hominibus pepigerat, annuntiaret, suoque sanguine confirmaret. Sed nunquid non

præcipui & egregij tituli sunt? Et quis non tantum non exultaret hæc audiens?

Adde quod & sacerdotem vocat, sed non apertis id verbis, cum dicite eum venturum in suum templum, vt quem solum sacerdotij decet dignitas, & qui solus sacerdotale munus compleat perfecte, hoc est Deum pro nostris peccatis placare, illique satisfacere possit.

Nec tacet Propheta, quid in templo facturus sit Christus. Ipse, inquit, quasi ignis conflans, & quasi herba folium. Hæc enim duo fecit in templo, facitque etiamnum. Sedit conflans, emundans & purgans. Igne vitur & aqua: igne ad conflandum, aqua ad purgandum. Per verbi sui ignem probat omnium sapientiam, iustitiam & vitam. Hoc igne omnes in carnalium ceremoniarum pharisaicæque superstitionis immunditiam & impuritatem à lege arrodit & consumpsit, probans humanam nec sapientiam nec iustitiam coram Deo persistere. Quin, quod magis est, ostendit, mundi huius prudentiam ad Dei collatam sapientiam, meram esse stultitiam, & humanam iustitiam nil esse nisi superstitionem inanem. Sed hæc faciens, vehemèter mundum lædit, qui sua indemnata vult omnia. Hinc ergo propheta noster ait:

Malac. 3.

Quis stabit ad videndum eum? Sit sui mundus semper similis, non ideo ab officio suo cessabit Christus: multo verò magis quicquid mali vsquam est, sui verbi igne consumet; mundabitque interea suos à peccatis, vt offerant Deo in iustitia, fiatque illi acceptabile sacrificium eorum, sicut à principio, & à diebus antiquis: id quod fit, vbi se per fidem in Christum sine operibus legis iustificari credunt, quemadmodum & illi qui præcesserunt

Gen. 15.

Legem iustificati sunt. Ecce audiuius à Malachia etiam aduentum Christi prædictum esse. Et quanquam illa omnia non vna die expleta sunt: hodie tamen impleri inceptum est, quod hodie primum in templū CHRISTVS venerit. Vides ergo quæ de Christo exigatur fides, imò etiam quæ per CHRISTVM oblata gratia, quæ nec hodie recusatur, vt & nos in vnico hoc Christo habeamus dominum & saluatorem, doctorem & sacerdotem, imò reconciliatorem inter patrem Deum & nos; qui nec cessat nos purgare & emundare verbo

& Spi-

& Spiritu suo, vt in omni bona actione, & diuinorum exercitio plenè & perfectè placeamus Deo.

Sed dicet quis: Agnosco quidem hæc magni aliquid esse, quæ duorum Prophetarum dicta sunt testimonijs: sed quis ea omnia memoriæ commendabit? Breuiter ergo quid de Christo credendum sit accipe, & quam fidem præsens dies postulet. Simeon senex noster tria Christo epitheta attribuit. Primum salutare eum dicit ante faciem omnium populorum paratum.

Deinde etiam lumen ad reuelationem gentium. Tercio & gloriam plebis Israël. Nec hoc sine causa, nec immerito. Vt enim per primum parentem nostrum pacem, salutem, Dei agnitionem, sed & propriam gloriam perdidimus, ita eadem hæc in Christo recuperauimus. Et quidem hæc fides, quam præsens dies à nobis exigit. Hæc fides eorum, qui hanc festam diem primi celebrarunt. Hæc etiam fides, quam ardens cereus in manibus tuis hodie denotat. Hæc fide non ardente intrinsecus, frustra quicquid extrinsecus agimus: imò quod amplius est, si hanc fidem in nobis non habuerimus, coram Deo mendaces arguimur, ac ipsum illudimus, qui lumen in manibus ad significandam internam fidem gerimus, planè nihilominus diuina luce fidei vacui.

Solicite ergo o fratres laboremus, ne tantum vmbra huius festi apprehendamus, & quod significatur amittamus, atque his nostris caremonijs reos nos Deo constituamus, damnantes nosmetipsos. Ad hæc sciamus etiam minimè sufficere, si internè fides tantum ardeat, cum externè verbis & factis luceat necessum est. Ergo igitur à primis huius festi obseruatoribus, non solum quid credendum, sed & quid faciendum sit discamus. Recedant vetera de ore nostro, dicebat quondam Samuelis mater Anna. Se ipsum enim commendare vetus cantilena est, quam nemo non didicit. Noua præsens dies exigit eloquia: nempe vt Christo. Messiali nostro agnito, Deum celebremus & magnificemus, tum etiam Christum coram toto mundo palam confiteamur.

Verum tum demum confitebere, vbi certus, quod tibi redemptor, tibi lumen, tibi gloria sit, idque in omni populo prædicas.

Iam

Tam verò ipsa, quæ hæc dies exigit, multifaria sunt opera, quando quæque personæ ex his quatuor peculiare quid nobis insinuat. Quum autem præcedentibus annis abundè satis de virginis matris actis dictum est, nunc quid Simeon suo nos exemplo doceat inspiciamus, & examinemus. Hæc Simeonis facta sunt: Ad Christum properare, Christum fidei suscipere brachijs, atq; in corpore portare. Hunc vnum omnibus mundi huius thesauris præferre, plurisque facere. Hoc agnito nihil porro in mundo appetere, sese totum diuinæ voluntatis pietati submittere.

Ecce quæ hæc festiuitas à nobis facta exigit, si eam piè & Christianè obseruare voluerimus. Deum immortalem, quàm felices nos, quia cum voluptate Christus inter nos viueret: quanta animorum nostrorum exultatione nostrum. Nunc dimittis personaremus, imò: quàm cōfidenter, quàm sine omni omnis periculi formidine nosmet in mortem daremus, si eo modo crederemus, loqueremur, ac deniq; manibus operaremur, quo hi omnes fecere. Contra: Væ omnibus qui hæc vel insolenter rident, vel pertinaciter temnunt. Quibus haud dubiè post hanc ærumnosam vitam infelicitissimè transactam æterni ignis manet cruciatus. Firma enim manet sententia: Quod qui Christum non diligit, sit maledictioni obnoxius. Quam Deus Optimus Maxi. clementer auertat ab omnibus, Amen.

SERMO QVINTVS.

Prophetiam Aggæi explicat.

SI quis recta hanc Evangelicam lectionem intentione examinauerit, facile (si modo vel scintillam Christianæ pietatis in corde suo fouerit) quod Christiani hæc ipsa festa die non immeritò spiritualibus exultamus lætitijs videbit, nec peculiari aliquo opus esset sermone, si secundum Deum idem sentiremus omnes. Quia autem (heu dolor) nonnulli nulla curant Euangelia: alij pro simplicitate, licet audiant, & quamlibet laboriosa diligentia intendant, nihil tamen inde frugiferum addiscant: alij etiam tam rudes, vt licet intelligant Euangelia, tamen obliuioni tradunt: ideo non abs re quædam in Ecclesijs cantilenæ summas rerum continentes, vsuq; festo-

rum

rum indicantes ea breuitate, vt nemo adeò simplex qui non intelligat: nemo tam infans quin memoria contineat, audiuntur. Id ergo vt verum credamus, quasdam eius generis cantiones proponamus. Sic nempe heri hora Vesperarum cecinimus: Hæc dicit Dominus: Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum, sanctum suum dominator quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis. In matutinis horis hodie item cecinimus: Ecce Dominus & dominator venit ad templum sanctum suum: latere & exulta filia Sion, & vade in occursum Domino tuo. Sed & in Missæ introitu exultantes diximus: Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui, secundum nomen tuum ita & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua. Ac demum in vespers horis audituri sumus. Hodie Maria in templum obtulit puerum, quem Simeon iustus in vlnas suas suscipiens, Deum benedixit in æternum, Ecce tibi his Ecclesiæ cantionibus non semel huius magnæ festiuitatis causam propositam, idque breuibus quidem, sed apertis verbis, ne quis latere se causas huius festi, tergiueretur: maxime cum isthæc omnia hodiernum Euangelium in se contineat copiosius.

Malach. 3

Psal. 47.

Primo enim Euangelium hoc testatur, Mariam proprium filium & supernaturalem in templum hodie obtulisse, quæ post partum virgo permanens, & matris habuit gaudium, & virginitatis non amisit pudorem. Secundo, & eximium profundæ humilitatis exemplum in Maria videmus. Tertio, tâta & tam multa à Simeone & Anna de Iesu adhuc puero audimus vaticinata. Quarto, hodie primum se Christum in templo publicè omnibus conspicuum exhibuisse intelligimus: imò quod ipse hodie primum sacerdotale suum munus expleuerit nõ obscure animaduertimus. Hæc omnia Euangelica attestante historia hodie contingere. Cur igitur hodie non exultabimus, festosque dies non celebrabimus? Mirum profecto spectaculum, & tale omnino, quale nunquam visum vel auditum est mundo: virginem in templo infantem, eumque ex seipso natum verè, sistere domino. Et cur properamus ad videndum omnes in vnum? Nõ minus

nus

nus mirandum, hanc ipsam virginem in tam sublime præ
omnibus alijs a Deo exaltatam, sese in tantam humilita
tis profunditatem dimittere, vt ad morem cæterarū mu
lierularum purificandi in se reciperet Legem. Et quis
hæc laude digna non æstimaret? At verò quid amabi
lius visu, quam quod ipse Dei filius nostram in se na
turam assumpserit? Et quis non propterea gratias re
ferret Deo? Sic & cætera grata sunt, quod Simeon om
nibus commune quoddam annunciat gaudium. Et quis
isthæc audire non gestiret? Quin ergo certissimū cum
est, hanc huius diei oblationē non solū omnibus secu
lis ab omnibus hominibus summa cum pietate, summa
cum animorum læticia esse rememoratam, verumetiam
ab ipso Luca, tū etiam ab alijs Prophetis antiquioribus
magna diligētia esse conscriptā. Omnes pœnā incurre
remus atrocissimā, si incogitanter eiusmodi res tran
siremus. Neque enim dubitandū magni momenti rem
aliquam latere, quam Deus tot antè seculis ad omnium
exultationem prædici voluerit. Sed nec Lucā hæc sine
causa tanta diligentia scripsisse puta. Tum haud dubium
hos quorū in hoc Euangelio mentio fit, homines pecu
liarem quandam consolationē & lætitiā sensisse, quan
do tam serio omnia agere videntur. Atque vnam om
nibus nobis ea mens ille spiritus qui in Simeone: pro
fecto eandem & nos experiremur in nobis lætitiā.

Hic, inquam, Simeon verè intellexit Aggæum. Et ea
quidem propter de ipso, quod expectauerit redemptionem
Israhel dictum est. Nam quia mens illi fuit antè per
Scripturarum alloquia excitata & inflammata, melius
præsentia Messia frui potuit. Ah quā fœlices nos, si
vel guttulam talis in nobis deuotionis conspiciere lice
ret? Et quidem quotidie Prophetam illū legimus. Sed in
hoc deficimus, quod minus verè cogitemus & minus
mente concipimus, quæ legimus & audimus. Quia au
tem Aggæus hanc nostram festiuam lætitiā tam mul
tis retro seculis prædixit, in illius prophetia hac vice tan
tum maneamus. Hic ergo satis indicabit quare toties re
petamus, Christum in templum esse præsentatam. Acci
pe igitur Dei verba per prophetam.

Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Adhuc modicum

cum

cum & ego cœlum & terram commouebo, mare quoq; Agg.^{2.}
& aridam. Et veniet desideratus cunctis gentibus & populis. Et implebo domum istam gloria. Magna erit gloria domus huius, nouissimæ plus quàm primæ. Nam in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. Ecce audis clarissimam Dei ipsius promissionē: nempe, venturū Christum verum illum Mesiā in templum post manumissionem Israëlīs ē Babylone instauratum, & fore vt pro Christi præsentia hoc ipsum templum gloriosius illo fiet, quod extruxerat Salomon. Vnde hæc Aggæi non infima in præcipuis argumentis ad conuincendos sui erroris Iudæos, tum ad defendendum & confirmandum nostram fidem. Estque ergo hic locus vnus in præcipuis, quos Iudæi corrumpere vehementer laborant. Et magis propterea hoc ipso aduersus eos vti de-
cet. Neque enim alia ratione euidentiori Ecclesia toties nobis proponit Christum in templum esse præsentatum. Quod si inuitis id Iudæi auribus audiunt, eo ipso nobis erit gratius. Quod si eos non piget magno labore Scripturas corrumpere, quod sibi aduersari eas intelligunt: nec nos pigeat contra eorum mendacia veritatem profiteri. Vt autem omnes quid hæc Prophetia, eiusque impletio pijs mentibus lætitiæ adferat, videamus: primum discamus quomodo eum locum Iudæi deprauarint. Deinde & veritatem eius meditemur.

Primo autem quod dicit Deus: Adhuc modicum & ego commouebo cœlum & terram, &c. ostendit mox futurum quod promittit: id quod considerare nolunt Iudæi, transilientes quasi nihil egregium in his verbis absconsum: timentque ne mendacij arguantur & conuincantur. Agnoscunt enim non iam modicum temporis, sed ferè bis mille transisse annos, ab eo quo hæc Aggæus prædixit tempore. Neque enim bis mille anni modicum temporis dici possunt. Verum enimuero si Psal.^{89.}
contradicere Dauidicis dictis præsumpserint: quia mille anni sicut dies hesternæ quæ præterijt: ecce additum est & aliud quiddam: venturum scilicet Mesiā adhuc sarto ac tecto illo templo, quod post Babylonicam captiuitatem Aggæo viuente instauratum fuit. At illius templi iam ferè sesquimille annis euersio facta est,

ace

nec lapidi lapis adhæsit. Propterea igitur hæc Iudæi transiliunt, quod his conuincantur, atque ideo etiam cetera verba quæ sequuntur deprauare student. Et cum ait, vti noster textus habet: Veniet desideratus cunctis Gentibus, ipsi legunt: Veniet desiderium Gentium. Id quidem cum nostra versione facile cōueniret. Est enim Christus verè omnium Gentium, omnium sibi credentium gaudium, summa voluptas & desiderium. Sed ipsi hoc Gentium desiderium tantum de cōcupiscentia quadam mala, habendi nescio quas ingentes diuitiarum thesauros, intelligunt. Id arbitantes summum desiderium gentium: ita subsequenter deprauant, vt thesauros magnos illos & diuites illius templi gentes sint pro cupiditate habendi direpturi. Sed falsum id est & dolus effugij, ne in mendacio quod contextuntprehendantur. Nam principio quidem ipsi ex illis Rabbi hunc Prophetæ locum de Messia interpretati sunt. Tum nullo Scripturæ testimonio vnquam comprobauerint desiderium Gentium merum esse æs & meras diuitias. Neque enim minus ipsi Gentibus hac Philargiria laborant: quinetiam aliquanto magis. Præterea Gentes non solum diuitias & aurum, verumetiam honores, potestatem, voluptates, & sanitatem desiderant. Quur ergo illud desiderium Gentium de solis diuitijs interpretari nituntur? Adde vt verum sit quod nemo nostrum negauerit, Gentes magnam facultatis & æris summam in templum hoc contulisse: cur non etiam vident Iudæi quanta ex eo ipso templo Gentes Antiochi temporibus, tum etiam sub Romanorum potestate acceperint?

Tertio quod subdit Propheta, Magna erit gloria huius nouissimi templi quàm prioris: ita exponunt, quasi nouissimum illud decē annos perduraret amplius prioris. Sed nequicquam laborant: frustra prætexunt. Quæ enim gloria mendico, si diuitem superuixerit decem annos? At nullo modo postremum illud templum prioris illo potuit comparari. Prius enim illud omnia auro contexta habebat purissimo. Vnde patres quibus visum erat ante prius illud templum, lachrymis cum secundum illud instauraretur abstinere non poterant: facile enim cōsiderabant nulla via hoc illo comparari posse. Quin etiam

3. Reg. 6.
& 7.

1. Efr. 3.

etiam si hoc templum illo preciosius auro alijsque rebus, imò si merum aurum fuisset, illud tamen verum ornatum preciosioraque habuisset monilia, vt Dei Arcam, Cherubin, sellam propitiatoriam aliaque id genus, quibus omnibus hoc posterius caruit. Et quid demum Iudæi tactant exteriorem huius templi ornatum, cum constet ipsum sapissimè non ab Idololatriis modò, verumetiam ab ipsis Iudæis, id quod ipse Christus eis exprobat, quod domum Dei, domum fecissent negotia-
 tionis, imò speluncam latronum, fuisse consuecleratum? *Io. 2. Matt. 21.*

Certissimū ergo de alio quodā ornatu loqui Propheta. Sed iste nullus alius fuit, præter Christū in hoc ipsum templum venturum. Hæc, inquam, maxima huius templi gloria, & hac parte multo illo fuit preciosius, quod in propria Christus verus Messias intrauit persona.
 Hæc ergo Propheta ad consolandum lapsos illius Gentis prædixit, adhuc nempe stante templo venturū Messiam ad erigendos eos. Sed enim neminem præter hunc vnum ostendere nobis possunt, quæ adhuc stante illo ædificio venerit. At nos ipsum habemus Iesum Nazarenū, qui adhuc stante templo illo puer in illo præsentatus est, vir in illo docuit, miracula multa & magna edidit. Hic ergo verè nostrum, hoc est, Gentium desiderium, hunc exoptant, & desiderant omnes populi. In illius tempore cælum commouebatur, quando in Oriente
Matt. 2.

Magis nouū sidus emicuit, quod præcedēs eos in Bethleem perduxit, quando Sol in eius passione obscuratus est. In illius tempore etiam, terra & mare commota
Matt. 27.

sunt, non in passione solū, quando petre scissæ sunt, nec solū in ipsius resurrectione, nec cū tempestatem
Matt. 28.

maris cohibuit, ventisque imperitauit, siccisq; pedibus
Matt. 14.

super mare ambulauit: verumetia & multo magis cū Euangelium prædicari demandasset omnibus creaturis.

Tunc, inquam, terra commouebatur & mare, vt homines cateruatim ad fidem conuersi, errores & idolatriam deponerent. Insuper ipse Christus in hoc templo pacē attulit. Si quis, inquit, sitit, veniat ad me. Ecce
Ioan. 7.

tibi omnia in Christo impleta, quæ prædixerat Propheta. Huius ergo hodie admonemur his verbis, Ecce Dominus & dominator venit ad templum sanctum suum.

m

Et:

Pfal. 47.

Et: Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Hæc ergo nostra hodiernæ diei læta festiuitas, illum ipsum, quem omnes Gentes desiderant venisse, nobis quæ sempiternam salutem præordinasse. Restat nunc vt Simeonis sequamur exemplum. Hoc salutare vlnis complectamur fidei, Deo gratias agentes ipsum confiteamur, coram ipso in iustitia & timore Dei appareamus & viuamus, vt de Simeone dictum est. Tunc fiet, vt ipse consolationem in nobis experiamur, & in vera pace hanc vitam cõcludamus. Id ergo Deus Opt. Max. omnibus nobis præstet, Amen.

S E X T V S S E R M O,

De Cæremonijs & Processione loquitur.

Quatuor magnas festiuitates hucusque Christi Iesu seruatoris nostri obtulit humanitas. Natiuitatis suæ primam, Circumcisionis alteram, Apparitionis siue adorationis per Magos Orientales tertiam, quartam hodie Præsentationis suæ in templum. Et quæadmodum hæc omnes externæ alia post aliam succedunt, ita quæque earum in quolibet verè Christiano conspiciuntur. Primò enim Christus in nobis nascitur, idque per fidem: quo prima notatur solennitas: Ex fide autem spiritualis præcedit circumcisio: per fidem emundantur mentes nostræ: imò per fidem iustificamur, vt peccata nostra præcedentia non imputentur nobis ad damnationem. Et hæc secunda festiuitas. Iam verò agnito Christo ac vbi remissæ nobis sunt iniquitates: necessarîo sequitur, vt cum Magis omne nostrum desiderium ad Christum cõuertamus, ipsum adoremus, illi offeramus, & quantum sumus dedamus, ipsius voluntatem & mandata sequamur, atque ita per secunda, perque aduersa, per contumelias & opprobria annitentes ad veram patriam festinemus. Et hoc tertium festum. His omnibus quadraginta huius vitæ diebus expletis, ecce & quarta festiuitas incipit: vt nempe & nos vnâ cum Christo in sempiternum suum templum offeramur & suscipiamur. Ecce hæc docemur his quatuor festiuitatib⁹. Quartum ergo quod hodie celebramus festum aliquantò diligenti⁹ examinemus. Inueniemus enim hodie verè im-

2. Cor. 6.

im-

impletum esse, quod de Deo olim David prædixerat. **Psal. 97.**
 Recordatus est, inquit, misericordiae suae & veritatis
 suae domui Israël. Interpretanda quidem de omni reli-
 quo etiam humanæ redemptionis opere sunt, quemad-
 modum & illud Maria facit, cū ait: Suscepit Israël puerū **Luc. 1.**
 suum recordatus misericordiae suae, sicut loquutus est
 ad patres nostros Abraham & semini ei⁹ in secula. Quo
 modo etiam Zacharias cecinit: Visitauit, inquit, & fecit
 redemptionem plebis suae. Et erexit cornu salutis nobis
 in domo David pueri sui. Sicut loquutus est per os san-
 ctorum, qui à seculo sunt Prophetarum eius. Salutem ex
 inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos:
 ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, &
 memorari testamenti sui sancti. Hoc, inquam, modo il-
 lud Dauidicum, reliquum omne nostræ redemptionis
 opus tangit, in quo maxime sese Dei misericordia pa-
 tefecit & veritas, vt modo ex ambobus Mariæ & Za-
 chariæ hymnis intelleximus.

Verum peculiari quadam ratione vtrunque & mise-
 ricordia & veritas in hac solennitate ostensum est cui-
 dentius: Vnde etiam lætis hodie vocibus nobis ac-
 clamatum est: Suscepimus Deus misericordiam tuam **Psal. 47.**
 in medio templi tui. Nonne enim magna diuinæ pie-
 ratis miseratio est, quod se Deus ipse in nostræ car-
 nis infirmitate omnibus conspicuum exhibuit? Non-
 ne & veritas Dei sese manifestauit hodie, cum certo
 modo ea impleta sunt quæ vterque, & Aggæus & Ma-
 lachias, prædixerunt? Maxime. Cur non ergo lætis in-
 uicem acclamamus ad Deum vocibus: Suscepimus
 DEVS misericordiam tuam in medio templi tui? Imò
 quo minus Iudæi hæc considerare laborant, eo magis
 & gloriosius nos ea confiteri debemus. Hac ratione
 iustus ille Simeon hodie confessus est: Nunc, inquit, **Luc. 2.**
 dignittis seruum tuum Domine, secundum verbum
 tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum,
 quod parasti ante faciem omnium populorum: Lu-
 men ad reuelationem gentium & gloriam plebis tuæ
 Israël. Haud dubie simile & Anna cecinit. Hi ergo pri-
 mi huius festi cultores fuere, horum insistendum est
 vestigijs. Atque huc pertinet, quod hodie decanta-

tum est : Ecce dominator dominus venit in templum sanctum suum : gaude & lætare Sion, & vade in occursum Domino Deo tuo . Et iterum : Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe regem Christū . In his ergo duobus tota huius solennitatis consistit obseruatio : nempe, vt Christo obuiam procedamus, eumque suscipiamus: quia en coram adest. Ecce, canit Ecclesia, venit. Venit non ad tribunal iudicij sui, sed ad templum suum. Et quare non ad tribunal? Nempe aderat tempus acceptabile, aderat illa dies salutis, de qua olim ipse Deus in

2. Cor. 6.

Isai. 49.

Isaia: In tempore acceptabili exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. Venit ergo non vt iudex, sed vt Saluator. Venit autem in templum suum. Primo tan-

1. Ioan. 2.

quam mediator inter Deum & nos, quem ipsum Ioannes vocat. Aduocatum, inquit, habemus apud patrem Iesum Christum iustum: & ipse propitiatio pro peccatis nostris. Deinde ad templum suum venit, tanquam verus sacerdos & Pontifex noster, vt eum Paulus dicit.

Heb. 8.

Talem, inquit, habemus Pontificem, qui consedit ad dexteram throni maiestatis in excelsis, administrator sanctorum, ac veri tabernaculi, quod fixit Deus & non homo. Tertio, veniet in templum suum, tanquam victima. Sic enim de seipso dicit: Pro eis sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati per veritatem. Hoc modo Christus hodie ad templum suum venit: imò eo ipso modo etiamnum in spiritali suo templo est.

Ioan. 19.

Quid ergo nos faciemus? Gaude & lætare filia Sion. Sed nunquid sufficit, si lætamur exultamusque pro Christi presentia? Minimè. Vade in occursum Deo tuo. Id verò qua ratione fiat Ecclesia hodierna docet processione.

Bernard.

Primo bini & bini coniuncti procedant, qua fraterna insinuatur Charitas, quæ omnino ad nostrum profectum necessaria est. Quisquis Christianam spernens dilectionem solus incedit, priuatum quid molitur, totam processionem dehonestat, sibi ipsi incommodat, alijs quoque oneri est. Et hi quidem sunt, qui seipso a Christianorum communitate segregant, irracionales & carnales homines, non habentes spiritum, non curantes ser-

In Epist.

Iud.

uare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vt Paulus mō-

Ephes. 4.

act.

net. Si ergo verè Christo obuiam procedere vis: ne so- Luc. 10.
lus obambules, sed adiuncto fratre procedas, quemad-
modum Christus discipulos suos legatos fecit: hoc est,
te ipsum contine in vnitae Sanctæ Christianorum Ec-
clesiæ vniuersalis, deinde etiam in vera Charitate erga
quemcunque Christianum in priuato. Hoc enim est bi-
nos & binos procedere. Et hoc primum, quod ad no-
stram processionem pertinet.

Secundo in processione minimè conuenit otiosos, &
vacuis manibus incedere. Quemadmodum enim solum Eccles. 4.
esse & incedere vt modò audiuius satis non est, ita e-
tiam Deus ne vacuus in suo conspectu appareat prohi-
bet. Si enim otium in ijs quos ad laborandum nemo con- Exod. 23.
duxit, reprehenditur: quanto magis reprehensione di-
gni, qui iam in vineam vocati, otiamur? Proinde lucen-
tes cereos, nec hos occultè, sed palàm & apertè, nullo Matt. 20.
tamen nisi qui sanctificatus in templo perpetuo serua-
tur igne accensos. Cereus noster, fides nostra est, quem
non solum corde comprehendere, verum etiam mani-
bus, hoc est, operibus ostendere debemus. Sine operi-
bus enim mortua fides est. In corde ardeat, externè in Iacob. 2.
operibus eluceat fides necesse est, quemadmodum &
ipse Christus docet: Lucernæ ardentes sint in manibus Luc. 12.
vestris, Et sic luceat lux nostra coram hominibus, vt vi-
deant opera nostra bona, & glorificèt patrem qui in cœ-
lis est, vt simus exemplum bonorum operum. Non quo-
libet igne accendi debet hi cerei, quia & Diabolus suos
focos fouet: nempe ignes carnalium desideriorum, am-
bitionis, inuidiæ, & liuoris. Hos Christus in suo mini-
sterio ignes respuit. Alienus ille focus est, & quæcun-
que inde accenduntur opera Deo displicent: quin etiam
in impietate sua morietur, quicunque hos peregrinos Leuit. 10.
ignes coram Deo obtulerit, etiam si patre natus Aaron.
Sit ergo cereus noster altero igne, hoc est, sancto accen-
sus, hoc fides nostra ardeat, nempe vero & genuino Cha-
ritatis affectu erga Deum & homines.

Hic ergo ignis ille, quem Christus in terris, vt ardeat, Luc. 12.
accendit. Ignitus noster erit amor: si enim tepidus fue-
rit, ex ore suo Deus euomet. Hoc ergo secundum quod Apoc. 3.
ad nostram processionem pertinet: nempe recta, inti-

- ma, operosaq; fides. Tercio tacere minimè conuenit in processione: canere & Deo psallere æquū est. Hilarè enim datorè diligit Deus. Tū genuinus Charitatis fructus, gaudiū est in spiritu sancto. Sed & propterea vocari in admirabile lumē Dei, vt annunciemus & cōfitemur virtutē & operationē eius qui nos vocauit. Psallere autē decet nō mūdo, sed Dño, & nouum canticum, quia mirabilia fecit nobis: Psallere, inquam, in vijs dñi, quoniam magna est gloria domini: Psallere, quia magnus cū sit dominus, humilia tñ respicit, & alta à lōge cognoscit.
- Quarto nec subsistendum erit eundo: pergendum porro de virtute in virtutem, quousq; perueniamus ad montem sanctū Sion, vbi in sempiternū Deus Deorum videbitur. Neque enim existimabimus nos consequutos esse, sed cum D. Paulo enitendum ad ea quæ à fronte sunt, nec cessandum donec propositum apprehendamus brabeum. Ecce hæc docemur hodierna processione, isq; Deo obuiam procedendi modus optimus. Hoc modo Maria, & Ioseph, Simeon & Anna, obuiam processerunt. Hoc ipso modo postea quotquot vnquam fuerunt pij obuiam Deo processerunt. Quia etiam si rectis oculis libet intendere, hæc ipsa processio nihil aliud erit, quàm representatio quædam fidei nostræ, gaudij nostri, & ordinatæ Charitatis & concordie, quam Christiani iam inde ab origine redemptionis exhibuerunt semper. Nobis quidem vestigium eiusmodi processions mansit, sed ipsum significatum aliquando rarò in nobis inuenitur. Portamus lumina, sed nihilominus corda nostra tenebræ sunt. Coniuncti bini atque bini incedimus, sed mentes nostræ disunctæ sunt. Canimus ore, & cor nostrum longè est à Deo. Corporibus & pedum passibus procedimus, sed nullū ferè virtutum sentimus incrementum: nec solum subsistimus, verumetiam sæpenuero relabimur. Sed longè alia à nobis requirit Ecclesia: nempe non vmbra externam, sed rei veritatem, hoc est, sic conueniamus affectibus, vt bini incedimus corporibus. Sic ardeat in mēte Fides, vt lumen luget in manibus: sic luceat in operibus, vt cereus in omnium oculis: sic mente in Deum ascendamus, vt ore laudes psallimus: sic pergamus in virtutibus, quomodo eundo

Isa. 29.

Secundo procedimus. Id hac processione in Ecclesia hodie docemur.

Neque verò sufficit si Christo obuiam processeris, nisi etiam in ornatissimam domum susceperis. Sed quem in nobis postulet ornatum, quatuor huius Euangelij personis docemur. In Maria discere humilitatem. Ecce, inquit, ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et iterum: Respexit humilitatem ancillae suae. In Ioseph Luc. 1. discamus constantiam fidei, qui probatus constans inuentus est. In Simeone timoris Dei exemplum suscipimus. Sic enim Simeon describitur, quod iustus fuerit & timoratus. In Anna perseverantiam in bono colligimus. De ea enim dictum est, quod vidua permanferit ad octogesimum & quartum annum, seruiens Deo nocte ac die, ieiunijs & orationibus. Haec ergo vera ornamenta, quae Christus in nobis desiderat: Humilitas, Fides, Timor Dei, & in bono usque ad finem constans perseverantia. His si quis domum suam exornauerit, recte & digne Christum suscipiet. Sunt ergo illi, quibus hodie occupati fuimus. Eia ergo sedulo cogitemus hodie Christum venisse ad templum sanctum suum, verum dominatorem & dominum, sacerdotem & mediatorem nostrum. Nec hoc solum, verum etiam adhuc inter nos esse, sequi omnibus offerre praesentem. Haec nos summa Dei misericordia ad gratias agendas moueat. Occurramus illi, suscipiamus illum. Sic sic fiet ut aliquando nos cum Simeone illo iusto secum in sempiternum regnum suum in pace assumat. Et hac via natalitia festa Christiani concludimus.

SEPTIMVS SERMO.

Nemo, qui hoc Euangelium perferatur, quia Christiani hac ipsa die fidem simul & deuotionem nostram aliquanto, quam alias per anni circulum apertius non modo laetis acclamationibus & laudibus diuinis, sed & externis alijs signis ardentibusque cereis declaramus, admirabitur. Causam enim huius habemus & exempla. Causa autem harum caeremoniarum est, quod hodie primum se Christus palam in templo videndum exposuit omnibus, ubi etiam publice omnium populorum lumen & salutare proclamatus est. Exempla verò Maria & Simeon nobis exhibent, qui fidem suam in Christum ver-

bis simul & factis testificati sunt. Atque utinam eiusmodi exempla vel in minimo & à longè sequeremur.

Lucæ . 2. state quadam confiteri: quod Simeon talis vir, in tali loco, omnibus aspicientibus puerum Iesum in suas seniles vlnas accipit, gratias agens Deo, quod ad eum diem superstitem seruauerit, tanta de puero edicit quod salutare sit à Deo cunctis donatum populis, gentium Lumen & gloria plebis Israël, iam porrò nihil præterea desiderans quicquid hic mundus possidet, certus & paratus mori, quod hunc coram aspexerit, quem semper & solum desiderauerit? An non admiratione raptos ab his tam insuetis verbis & factis, plurimos credibile est? Alij haud dubiè rem serio agi, alij, & fortè maior pars lusum dixere, & (vt sunt diuersa multorum iudicia) alij Deo gratias egere, alij risere. Id quod ipsa Simeonis verba declarant cum ait: Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Quæ utique satis indicant, non omnium idem iudicium, in ea quæ de puero dixerat verba, fuisse. Quir enim in hæc verba prorupisset, si eam de puero fidem, quam in se ipso sentiebat, considerasset in omnibus? De nulla profecto ruina, de nulla contradictione, sed de salute deq; resurrectione tantum prophetaisset. Sed ex ijs quæ tunc coram videbat, futura prædicebat.

An verò ideo confessionem suam prætermittebat, quod non omnibus serio rem agere videbatur? Minimè. Pergit porrò Deo deuotus, inq; multis lusum arbitrantibus. Annam inuenit credulam. Hoc ecce nobis seruit Simeon exemplo, hoc modo hodie fidem suam, nil reliquorum veritus iudicia, testificatus est. Nò Dauid ideo ante arcæ cithara ludere cessauit, quod vxor lusum agere, & Rege indignum quid facere videretur. Non ideo **1. Reg. 1.** Anna Samuelis mater ab oratione destitit, quod Heli sacerdos ebriam mustoque plenam dicebat. Non ideo **Acto. 2.** Apostoli Dei magnalia prædicare cessant, quod à Iudeis musto pleni dicerentur. Non Paulus ideo prædicatione Evangelij abruptus, quod à Philosophis Athenis **Acto. 17.** **Acto. 26.** Spermatologus, à Festo diceretur insanus. Cur ergo Christiani coram Deo honesti puder? cur fidelis quod bonum est o-

est o-

est omittit, propterea quod ab alijs leuiter ridetur? An non honestū, an non piū, an nō Christiano dignū, postquam audis Simeonem tanta cū maiestate fidem suam professum, tu quoq; pietate accēsus ipsum imiteris, nec solum intra temetipsum, sed & palām, accepto in manus ardente cereo, publicē te in ipsius Simeonis fidem iurare: nempe quod Christus verē saluator, ipsumq; adeo salutare, verum ad illuminādos omnes omnium nationum populos lumen, confitearis?

Ioan. I.

Non ob pueriles lusus, o fratres, à maioribus institutum est, quod hodie accensis luminibus ordine procedimus, si cor adsit. Verē enim puerilis lusus est, si corde fide vacuo, externo tantum ritu lumen in pompa feras: Eiusmodi homines meritò ridentur. Nō illa priorū sentētia fuit Simeonis exemplū, verba, atq; facta cogitantiū qui, vt pueris simplicioribusq; eo tenacius in hereret: has instituere cæremonias, vt nemo nō hos externos ce reos videns, illud lumen cogitaret quod prædicauit Simeō, nēpe Christū oēs hūc apprehēdere, in hoc & viuere & ad iusti Simeonis exemplū, in ipso mori studerēt.

Hæc ergo causa hodiernæ pompæ est. Ac facilē hinc colligere licebit, ad quid nobis Simeonis exemplum feruat: Sit ergo illud primum exemplum. Secundum sublimius quid indicat. Si enim Simeon tantam fidem, tantam etiam pietatem ostendit, tam multum gaudij & consolationis inuenit, qui semel tantum idque exiguo admodum tempore Christum vlnis susceptum portauit: quis tandem eloqui potis est gaudij illius maiestatem, quod habuit illa, quæ virgo intacta viris, alio aliquot mensibus ipsum tulit grauida, ac deinde peperit? Quis vel cogitare sufficit, qua illa fide, qua pietate, quibus laudibus, qua gratiarum actione suam, imò & Dei naturalem filium ipsi Deo in templo obtulerit?

Quod gaudium habuerit & exhibuerit adhuc gerula clausi legimus: Magnificat, inquit, anima nœa dominum, & exultauit spiritus meus in deo salutari meo: quantum ergo gaudij habuit, quando iam natum vidit, attrectauit, in templum portauit, Deoq; obtulit? Nulla profecto alia causa id conscribere Euangelistæ prætermisere, quod nemo id dignè dictare potuit, & quod sit

Luc. I.

exemplum nemini facillè consequendum.

Sint ergo hæc de causâ & exemplo hodiernæ pompæ dicta breuiter. Quod reliquū est huius sermonis: ipsum Prophetā qui hodie recitat^r est audiamus. Hic nō solum seruiet nobis ad hanc festiuitatem dignè celebrādam, verumetiā quid præsentatus in templo Christus effecerit, efficiatq; etiamnum maximè in sacerdotibus & Leuitis. Ipsius ergo Malachię verba attendamus. Ecce

Malach. 3 ego, inquit, mittam angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos quæritis, & angelus testamenti quē vos quæritis. Ecce venit, dicit dominus exercituū. Et quis potest cogitare diē aduentus eius, & quis stabit ad videndū eum? Ipse enim quasi ignis confans, & quasi herba fullonum. Et sedebit confans, & e-

Matt. 11. mundans, &c. Hęc prophetia propriè Christum respicit atq; in ipso completa est, ita planè vt nec in minimo fefellerit. Ioannes ipse angelus siue nuncius, qui præ-

Ioan. 1. viam illi præparauit in hominibus. In matris erat vtero Christus, cum Ioānes nasceretur, sic statim sequutus est præcursores suū. Quin etiā dū Ioannes prædicare incipit, Christus (illo etiā testante) in populi stetit medio. Id quod propheta indicare vult cum ait: Statim veniet, hoc, est quū primū angelus visus fuerit. Et hoc primū.

Secundo: magna diuersitate vtrunq; angelum separat. Ioannem quidē Angelū, id est nuntium siue missum dicit, sed simpliciter: at verò Christū testamenti angelū vocat, quē omnes velint, omnes quærant. Quin etiā dominum & dominatorem appellat. His duobus titulis Christum insignit. Talem mundus expectabat, talem

1. Petr. 2. omnes quæritabāt pij. Talis omnibus necessarius. Desperuisti oues errātes in medio luporū. Pastorē ergo desiderabāt. Animaduerte bāt Mosen suis vel lege vel sacerdotibus, nec peccatū, nec mortē, nec etiā Diuinā irā tollere posse. Propterea indigebāt alio, qui melius ali-

Ezec. 34. quod testamentū erigeret priore illo. Hic ipse Christus est. Ac ideo & dominator & angelus testamēti dicitur. Tertio: Veniet, inquit, ad templum sanctum suum, quod eo tempore instaurabatur, quo Malachias, alio nomine (vt quibusdam placet) Esdras dictus, cū Aggeō & Zacharia

Zacharia ad instaurationem templi hortabantur & impellebant. Id quod in Christo impletum est. Nam hic in idem illud templum praesentatus est, in eodem praedicauit, & miracula edidit, quod & ipsum Iudaei dicere non metuunt. Iam verò illud templum mille quingentis annis dirutum iacet, nec ullum aliud instauratum aut aedificatum est, licet id saepe attentarint Iudaei, sed confusi semper ab incepto desistere coacti. Quando igitur Malachias & Aggaeus tam clare scribunt: Messia in illud ipsum templum quod tunc aedificabatur, venturum esse, atque idem templum iam quindecies centum annis dirutum iacet: sequitur irrefragabiliter, Messiam ante tot annos venisse. Vnde quod adhuc venturum Messiam Iudaei expectant, vanum & falsum est. Si adhuc staret templum, aliqua ipsorum expectatio speciem certi haberet. Quia autem iacet euersum, nihil est quod futurum adhuc expectent. Imò propterea Deus illud euertere voluit, ut omnes cognoscerent hanc prophetiam esse completam, venisseque iam olim Messiam. Quod si videre occaecati Iudaei nolunt, in suo errore sine nobis pereant. Certi nos, hoc vaticinium in Christo Iesu domino impletum esse.

Quarto addit, Ecce venit. Et quis stabit ad videndum eum? Quibus hoc praedicatur: Certum quidem venturum Messiam, sed non secundum mundi opinionem, vel omnium sensus & voluntates. Non omnibus innotescit aduentus eius, quia pauper & humilis venturus est. Deinde non omnes de eius aduentu laetabuntur, non omnibus laudabitur. Multi ab eo fugient odio ducti, pauci stabunt ad videndum eum, multis erit aduersus. Erit enim quasi ignis conflagrans, &c. hoc est, non ad cuiuslibet voluntatem vel loquetur, vel operabitur. Nulli blandietur, malum & iniquum non feret: nec hypocrisis, nec errori, nec ulli impietati patrociniabitur. Sedebit conflagrans, quasi aurum igne purgans, & quasi fullo lixiui, sinigmate & herbis vestium maculas emundans. Non obiter sed rerum intima tangeret, corda hominum velint nolint, purificabit. Matth. 3.
Huc pertinet quod Ioannes dicit: Ventilabrum in manu sua, & Ioan. 16.
purgabit aream suam. Hoc ergo Christi in templo suo, hoc est, in Ecclesia officium. Per verbum suum & spiritum, mundum de peccatis, de iustitia, deque iudicio arguit, hoc est,

non

Ioan. 3.

non tantum nos peccato subdit, verum etiā ostendit omnem nostram iustitiam (in quantum homines sumus) nihil esse. Id quod omnibus arrogantibus nimiumque de seipsis presumptibus in sua iustitia vel sapientia confidentibus, quasi ardens & vrens ignis. Neque enim qui in peccatis sedet, argui amat: & qui male agit, lucē odit, tum confidens, de sua iustitia & sapientia, reijci non facile patitur. Propterea ait: Quis stabit ad videndum eum? Quo ostendit paucissimos secum convenire.

Id quod apertissime in Phariseis videre est. Iis enim minime cum illo convenit, nulla eis à sermonibus eius voluptas. Et cur id? Contrarius erat factis illorum, ignē sentierunt adurentem, & acre lixiuū. Conscientias eorū penetrabat, arguens superbiam, avaritiam, hypocrisim & id genus alia vitia. Contra hunc ignem persistere cū non possunt cecidēre, perierunt, conflati sunt, ad nihilum reducti sunt: nec solum ipsi, verum etiam templum ipsorū & ciuitas. Hoc ergo prauidentis Malachias ait: Quis dies aduentus illius cogitabit, et quis stabit ad videndum eū? Quanquam & de extremo iudicio hæc verba interpretari possunt: præcedit tamen illud. Conflat & purgat modò per verbum suum, qui gehennæ igne olim conflare veniet.

Quinto addit: Et purgabit filios Leui. Id quod vt singulari quadam ratione additum est, ita etiam præcipue considerari debet. Cum illis enim hominibus Christo plurimum fuit negotij, quos maxime purgatos vult. Ipsi enim immundis, alij quoque ab eorū doctrina & vita impuritatem quandam attrahunt. An ergo non dolerent Iudeorum Pharisei, quod Propheta ait, Christum vbi venerit filios Leui purgaturum imò conflaturum, emundaturum, & quasi aurum ab argento in igne, ita bonum à malo separaturum esse? Si purgandi, certe impuri. Neque enim quod purum est, purgari adhuc necesse habet. Iam verò de Christo vaticinatum erat, quod esset purgaturus filios Leui, ac tum demum purificatorū placitura illi sacrificia. Vbi ergo ipsorum iactantia: Nūquid & nos cæci sumus? Et: Nos Moisi & discipuli sumus. Et iterum: Magister: hæc dicens nos etiam afficis contumelia. Noluerunt desecari, sibi ipsis iustitiam simulant. At

Ioan. 9.
Lucæ. 11.

Chri-

Christus ignis est nemini parcens, omnia quaecumque attingit consumens. Sic enim hic de eo Propheta praedixit: Et purgabit & colabit filios Levi.

Sed haec primum de ipsis personis, post verò etià de ipsorum officio intelligenda sunt, ac tertio quidè de sacrificijs. Impura erant omnia, personae, officium, & sacrificia. Omnia purgatione & emundatione necesse habebant. Dei olim mandato Moses tribum Levi in sacerdotium & Dei ministerium ordinabat, non tamen quosvis in ea admisit. Quicumque aliquo vitio laborabant, qui vel caeci, vel claudi, vel luesi, vel gibbosi, vel scabiosi, vel rupti, aut aliàs monstruosum quid habebant, nasum, manus, aut pedes, excluderentur. Sed quales in templo offendit Christus? Tales omnino, quibus verè potuit dicere: Moyses dedit vobis Legem, sed nemo ex vobis factis praestat Legem. Et: Sinite illos: Caeci sunt, & ducēs caecorū. Et: Vae vobis Pharisei & Scribae, quia similes estis sepulchris dealbatis, quae foris quidem apparent speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, omniq̃ue spurcitia. Tales offendit, quos flagello in templo eiecit, postea etià patriā terrā expulit. Hoc modo filios Levi, in personis purgavit.

Par ratio officij fuit. Optimè Moses ordinaverat, quo quisque fungi deberet munere, quomodo Reipub. praef se conveniret, quod ab omnibus in sui sustentationem ex decimis, alijsque oblationibus alimenta sufficientia accipiebant. De quo multa in quarto & quinto Pentateuchi. Melius porro David instituit omnia, diuidēs Levitas in quatuor partes: Primum locum tenebat summus sacerdos: huius munus semel in anno in sanctum sanctum intrare, ibique cum Deo populum reconciliare. Post hunc viginti & quatuor alios sacerdotes, qui ex ordine alius post aliumungerentur officio in templo. Horū officium erat oblationes & thurificationes facere, tum populum docere, & benedicere. Et hi quidem omnes ex tribu Aaron.

Alios deinde Levitas in tres turmas diuisit. Quosdā ordinabat Cantores, qui Psalmos decantarent; Deoque laudes dicerent dum alij offerebant. Quosdam ianitores fecit, alijs templi vtenilia custodire demandavit. Atque is qui-

Matth. 15.
Ioan. 2.
Matt. 21.

is quidem modus optimus. Sed quomodo Christus hæc offendit? Quomodo quique suo instabant officio? Nemo ut diceret: sustulisse Dei mandatum, ut suum constituerent. Quod templum domū negotiationis fecissent, & speluncam latronum. Ecce iterum hic Christo cōstādi & purgandi laborem.

Sed & sacrificia immunda erant. Quod in ijs optimum, patrum fides in ea erat. Id ipsum etiam aurum hoc, Quod reliquum acceperat, uti immolatio animantium & combustio, & sanguinis earum in templo aspersio, thurisque incensio: non verè aurum, nec in eo Deo complacuit. Omnibus igitur CHRIS TVS in fornacem iniectis: fidem quæ est aurum approbavit, reiectis caeremonijs tanquam scorijs quibusdam. Id ipsum Propheta vult cum dicit: Purgabit filios Levi. Nec hoc CHRIS TVS Iudæis horumque sacrificijs tantum fecit, facit etiam hodie. Et quidem arbitror, quod verè purget, confluet & cribret nos his temporibus: quod si attendere renuimus, certè pertinaciter occæcati sumus. Et quis iniuria se affligi, conqueri potest.

Sive enim personas, sive officia sive sacrificia inspicimus nostra, Deum immortalem, quā sumus inæquales ijs, qui ante nos fuerunt? Quā nihil omnino facimus eorum, quæ illi facitarunt sedulo? Quam nihil aut certè quā exiguum seruioris in nobis, quem in officio suo illi ostenderunt. Idem vitium in plebe. Nullus status sibi respondet. Expectavit & aspexit longo tempore Deus, admonuit, prædixit: sed nemo verè cogitavit, nemo vitæ emendationē iniit. Aquæ nullus in nobis effectus est. Apparuit ergo fornacem, imposuit ignem: efficiet malum, quod non potuit bonum. Omnino enim purgan-

1. Cor. 11.

da dei domus est. Si nosmetipsos dijudicaremus, nō corripemur à domino. Quādo ergo nos negligimus, supplet ille. Quin si hæc fornax non omne aurum expurgaverit, expectat nos alia formidabilior multo. Ecce, inquit, in iudicium veniam vobiscum, & ero testis velox aduersus omnes qui operantur malū. Ecce hæc de Christo prædixit Malachias. Hæc ipsa hodie, lecta & audita, eadem quotidie experimur omnes, expectamus vehementiora. Quare o fratres, decenter ambulemus in do-

Malach. 3.

mo Dei. Simeonis imitemur exemplum. Sic planè viuamus, vt olim fornacē hanc non timeamus. Neque enim quod tergiuersemur est. Omnino necesse est, huic satisfiat vaticinio: Purgabit filios Leui. Si non hic, certè alibi imititius. Gratia Dei Opt. Max. nobiscum, Amen.

OCTAVVS SERMO.

Initio huius sermonis libet cum D. Bernardo præfari: Quod tria in assumēda carnis nostræ natura diuina maiestas perfecerit, omnia tam grādia, tam noua, tā insuetā, tā rara, tamq̃; admirāda, vt equalia nec habuerint, nec habitura ynquam. Hic enim in vna eadēq̃; persona Deus & homo inuenti sunt. Hic in vna persona virgo & mater est. Hic fides & humanum cor in vna persona est. Tres profecto coniunctiones, omne miraculum, omnia signa excedentes. Nemo vel cogitare sufficit, quomodo fieri potuerit tam inæqualia, tam longē lateq̃; distantia in vnum coniungi potuerint. Quid distantius Deo & homine? Quid naturæ impossibilius, quā virginē simul esse & matrē? Quid dissidet magis quā fides & humana ratio? Omnia tñ inuenire licet in hoc Euangelio. Tres personæ hic nominantur: Christus, Maria, & Simeon. In Christo prima coniunctio: in ipso enim Deus & homo aduniti sunt. In Maria secūda: illa enim & virgo & Mater perstitit. Tertia coniunctio in Simeone est, qui vtrunq̃; etiam eluctāte natura, firmissimē credidit: Nunc dimittis seruum tuum dñe: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Vide ergo quæ pijs in his tribus meditandi copia, quæ etiam admirationis causa. Quid Deus, nisi summum bonum, lumen incomprehensibile, inuestigabilis essentia? Quid homo nisi terra & cinis?

Quis verò cogitasset posse hæc duo in vnā personā coire? Quid enim sublimi⁹ Deo? Quid abiectius terræ? At verò sic sese Deus cū terra, hoc est, cum homine adiunxit, vt etiā humanitati Christi attribueretur, quicquid in ea gessit Deitas, et rursus Deitati assignetur quicquid in eo humanitas passā est. Quomodo enim verè dicimus: Iesus Maria filius à Nazareth à morte excitauit Lazarum: ita verè dici potest: Iesus Dei filius crucifixus est. Certum nihilominus est, Christum in quantum homo, nullum edidisse miraculum: & in quantum

Deus.

Deus, pati non potuisse. Non. Deitas in Christo latens fecit magnalia, non verò humanitas: tum verò sola humanitas passa fuit, nō Deitas. Sed quia indissolubili quodam nexu Deus & homo coniūcta sunt, alterutri Naturæ adscribitur, quod habuit & potuit alia. Ecce ergo puerum Iesum, in quo solo hæc duo, & nullo alio secundo, inueniuntur.

Exclamat igitur Sanctus Bernard. Memento, inquit, o homo, quod limus sis & terra; ne quid superbias. Deo te cōiunctum cogita, eoq̃ue gratias age. Vide enim quā erga terræ globulos dilectionem ostenderit, quo eos honore induerit. Primò enim spiritum illi vitæ inflauit, vt Moses testis est. Addidit sensualitatem, tum rationē donauit, ac denique seipsum aduniuit. Hæc ergo meditando sunt hodie. Quod si quis verè hæc perperdere possit: Deū bone, quæ in illo pietas, quod gaudium, quæ admiratio, quæ denique gratiarum exurgeret actio? Hoc ergo primum quod cogitandum hodie proponitur.

Post hæc in Mariam conuerte oculos, inuenies admirandam vnionem, nunquam in vllō hominū simul repperitā. Ab exordio mundi nunquam auditum est, matrem esse virginem, aut virginem esse matrem. Nam secundum naturam nullum fecunditas virginitati locum dat, nec fecunditati virginitas. At verò sola hæc beatissima persona est in qua ineffabili fecunditati virginitas, & virginitati cōiuncta est fecunditas. Quod semel in ea fieri datum est, nec vnquam prius, nec factum est post, nec futurum est vnquā. Hæc ergo in Maria & virgine beatissima & matre felicissima cogitanda sunt.

In Simeone verò non minus quā superiora admiranda inuenimus. Omne, inquam, miraculum excedit, in talibus fidem conuenisse cum ratione. Iterum dico: admirandum est, quomodo humana mens duo hæc, puerum hunc Deum esse & hominem, Mariam verò matrem eius & virginē esse possit credere. Vt ferrum & terram in se confluantur & vniuntur: ita nisi Deus per spiritum suum coniunxerit: nec fides rationi, nec ratio conuenit fidei. Non enim in se habet ratio: Deum esse eum, qui se in præsepio poni permittit, qui esurit & sitit, cæteramq; humanam infirmitatem experitur: imò qui flagellari, con-

spui,

spui, crucifigi, & sepulchro includi se permittit.

Sic nec in se habet ratio, virginem esse quæ desponsa-
ta viro semper præsentī, & coram: qui deduxit in Aegy-
ptum & reduxit, qui solus tantū viæ cū sola peragravit,
quæ filium lactat quem peperit. Omne iam tertio dico
miraculum excedit, quomodo persuaderi potuerint hæc
tam contra naturam, mundo. Licet enim aliās ratio nihil
nisi quod ipsa apprehendit, possibile putat: tamen, firmi-
ter, indubitatē, ac certō persuasum est mundo, hunc pue-
rum esse Deum, eiusq; matrem esse virginem. Ergo tot
Martyrum myriades omnis ætatis, vtriusque sexus, om-
nis generis tormenta, ipsamq; adeo mortē citius perpeti
voluerunt, quā vel minimum ab hac fide recedere.

Id ergo iam statim ab initio exemplo Simeonis osten-
sum est. Ecce enim quā sine vlla hēsitatiōe tam constan-
ter loquitur: Viderūt Domine oculi mei salutare tuum,
quod parasti ante faciem omnium populorū. Video hūc
infantum lumen esse Gentium, & gloriam plebis tuæ
Israēl. Video in eo maiestātē tuam. Video completa esse
quæ expectauimus & desiderauimus. Nulla nunc mihi
vivendi hic voluntas est: nunc ergo dimitte seruū tuū
domine, secundum verbum tuum in pace. Nullum nūc
mihi ab ira tua periculum est: quia ecce salutare tuum,
hoc est, ille ipse per quem gratiam tuam, donā tuā, ip-
samque salutem impertiri vis, ante oculos meos est. Nū-
quid non hoc est constanter de magnis rebus loqui?
Quid ergo in his præceptum? fides. Si enim secundum
rationem loquutus fuisset, certē alijs id verbis fecisset,
Sed restitit ratio, cessitque loco fidei. Est ergo miracu-
lum, vt dixi, supra miraculum omne: rationē in his, quæ
non apprehendit, quæ impossibilia ducit, locum dare fi-
dei. Verē Dei solius opus hoc. Propterea hoc ipsum Luc. 2.
Euangeliiū de Simeone loquitur, q̄ responsum accepe-
rit à spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius
videret Christum Domini. Deinde quod idem in spiri-
tu sancto hac ipsa hora in templum superuenerit. Hic er-
go spiritus sanctus haud dubiē in ipso rationem huma-
nosque cogitatus retudit, & fidem excitauit, confirma-
uit, vt certō de hoc puero pronunciaret, quod secundū
naturam nemo alius in puero videret.

n Sufi-

Sufficeret autem hæc cogitare hodie cuiq; Christiano, etiam si nulla restaret adhortatio. Sed necesse habeo porro aliquid dicere, & quod Deus iam inde ab initio in humanæ redẽptionis opere semper inuito & repugnante Diabolo, mirè processerit, ostẽdere. Id quod primum ex hoc Euangelio, deinde etiam ex alijs Scripturæ locis apparet, tum etiam à cõtrario docetur. Vt enim verè Deus ab exordio serũ, omnia opera sua, omnes figuras, totam Legem, omnia sacrificia, omnes Prophetas in hunc finem direxit, vt omnes intelligerent, venturũ esse aliquando eum, qui vno sacrificio totam humanæ massæ naturam cum Deo reconciliaret: ita etiam Satã ab initio in hoc laborauit, vt hoc Deitatis opus & propositum, quo posset modo impediret, homines in deuia seduceret. Id ergo vtrinq; probare libet exẽplis.

- Ac primò videmus hic scriptum, quòd Christus quadagesimo die à natiuitate suã in Hierusalem in templũ latus sit, vt ibi secũdum Legẽ Domini sisteretur Domino. Quibus professò verbis reducere nos Euangelista vult, in Legem de primogenitis masculis latã: vult, inquam, hanc Legem propriè Christũ respicere, Christi causã latam, vt & aliã: vt cũ præcipit ne crucifixorum corpora maneant in ligno, sed eadẽ die ponantur & sepeliantur. Quæ certè & propriè Christum respiciebat, qui statim depositus sepeliendus erat, vt tertiã die resurgens Ionæ figurã impleret. Huius ergo Legis priuilegio alij gaudebant. Quid enim Deus curat, quo quisq; tempore affixus maneat ligno? Eadem & hic ratio est, cur Deus magis vellet primogenitos, quàm secũdo vel tertio. An nõ ille Dominus, an nõ creator, an nõ seruator? Quar ergo primogenita vult? nempe quia venturus erat, primogenitus quidã omniũ creaturarũ, primogenitus virginis. Hũc certo modo lex de primogenitis masculini sexus respiciebat, hũc Deus requirebat, hic præsentãdus & offerendus erat. Vt Malachias dixit: Statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quẽ vos queritis. In hoc implendũ quod in eodẽ Propheta additur: Et placebit Dño sacrificiũ Iuda. Et hoc primum. Secundo: Certũ est, quod Deus in paradyso adhuc viuẽti homini promiserit, fore, vt quemadmodũ mulier
- decepta

Luc. 2.

Exod. 13.

Deut. 27.

Ionæ. 1.

Matt. 12.

Malac. 3.

decepta erat à serpente, ita etiam ex muliere veniret, qui Gen. 3.
serpentis caput contereret. Tū omnibus persuasum, re-
nouatā hanc promissionē esse sēpenumero ad Abrahā:
In femine, inquit Deus, tuo, benedicētur oēs gētes. Sed Gen. 2.
ne gloriarentur Iudæi, quōd ipsi essent semen Abrahæ,
& nos quasi ab illis salutē cōsequuti essemus, Paulus oc-
currit, dicēs: Nō in seminib⁹, quasi in multis, sed in vno Gal. 3.
femine qui est Christus. Simili modo & subsequētib⁹
tēporibus hāc seminis promissionē renouat, sed clarius.

Vt autem eo melius in hac fide conseruarentur ho-
mines, nunc hanc nunc illam exhibet futuram figuram.
Hic Abrahæ mandat, vt propriū mactaret & offerret fi-
lium, indicans Dei filium offerendum pro salute omniū. Gen. 37.
Illic Ioseph à fratrib⁹ venditur, deinde Dominum illū
statuens, indicans necesse esse Christum primū pati, &
sic postea exaltari. Iam agnū mactare, & postea domorū
illius aspergere sanguine Israëlitis mandat, cōmuni eos
hoc ipso Aegyptiorum clade conseruans: indicans ven-
turum esse, qui suo sanguine communi hosti resisteret
& occideret, suosq; potenter eriperet. Has aliasq; e-
ius generis figuras aliam post aliā ostendit Deus, vt con-
seruaretur in venturi Melsiæ fide populus.

Adde, quando iam aliquot centenis annis in Aegy-
pto fuerant, multam variamq; idolatriam conspexerat:
insuper in aliā regionem ingressuri, vbi idolorum cultus
omnis, inq; idolatrarum habitaturi medio, vt ab hoc etiā
conseruarentur: ideo Leges fert, qua ratione inter Gen-
tes viuerēt, præscribens cultū diuinum, quomodo mini-
strarent sibi, victimarū signans genera, ea numerositate
augens, quo minor desciscendi superesset occasio. Si Exod. 29.
quando sacerdotes consecrandi, pecularia ordinata e-
rant sacrificia: si quis peccator reconciliandus, si quē mu-
lier post puerperium purificanda suū cuiq; munus præ-
scriptum erat. Leuit. 12. Sed & si mundandus esset Lepro-
sus, suum quoq; habebat munus. Tum certa sacrificia in
festis, & nouilunijs incidentibus præmonstrata erant.
Quod si quis inopia nō posset grādia, ex præscripto Le-
gis offerre, potuit minora. Et super hęc omnia aliud erat
iuge sacrificiū, quotidianū quod mane & vespere pera-
gebatur. Quę omnia instituta erāt, nō quod Deus eiusce
Exod. 29.
modi

modi rebus delectatus fuerit, sed vt populus in obedientia & ministerio conseruaretur: nec occasione otij data, peregrina requirerent sacrificia. Maximè vero vt futuri & magni sacrificij admonerentur, quod in & per Christum erat complendū Ideoq; pleraq; omnia per sanguinem fiebant, vt hoc ipso sanguinolentum Christi inculcetur sacrificium, in cruce perficiendū. Hoc ergo est, quod superius dicere institui, Deū facta sua hoc modo, per figuras, sacrificia, & Legē perfecisse: vt seruet oēs veterum eū, qui suo proprio sanguine recōciliaret omnia.

Contra verò non sibi deesse voluit Satan, in hoc incumbit totus, cœlum & terram cōmiscet, vt hanc ipsam fidem, quam Deus saluam & integram voluit, radicitus extirpet. Primo enim cum iam Aegyptum reliquissent, Mose in monte cum Deo loquente vt Legem deferret, eo Satan suum apud Isrāelem negotium permouit, vt ex auro conflatum vitulum, erectum adorarent, quemadmodum in Aegypto vsu receptum viderant. Quamquā autem illo tempore artes illæ Satanæ dissiparentur, obstante Mose et alijs, eò tamē res deuenit, vt nunc in hac, nunc in aliam atq; aliā idolatriam inciderent: tandem etiam duos aureos vitulos erigentes, nouum cultum instituentes, à Dei templo deficerent. Id quod omne eò tendebat, vt populus veri atque vnici Christi sacrificij oblitus, in Satanā perseueraret & periret tyrannide.

Sed quid tū postea? An ideo ab instituto cessauit peus, quia tanta pertinacia obstabat Satā? Minimè. Impleta est Dei promissio, cōfusus Satā. Ecce (hodie cecinimus) dominus & dominator ad templū sanctum suum venit. Verum vnicum illud sacrificium in ara crucis immolātū, hodie in templo est oblatū. Id quod in matutinali sacrificio præfiguratum est, quemadmodum illud quod in cruce perfecit Christus, in vespertino significatum fuit. Vtrinq; tamen impletum, quod per Isaiam vaticinatum est: Oblatus est, inquit ille, quia voluit. Quod enim hodie in templo oblatum est, non ideo factū est, quod oportuit pro necessitate, sed quia voluit pro bona voluntate. Et quod postea cruci affigitur, non ideo factū est, quasi crucē sit meritis, aut vi Iudæorū superatus sit: sed quia voluit. Volēs sacrificabo tibi, dicens patrē alloquitur. Et iterum:

Exod. 32.

Isai. 53.

Psal. 39.

iterum: Sacrificium & oblationē noluisti, tūc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptū est de me, vt facerē voluntatē tuam. Deus meus volui. Quando ergo hodie matutinū suū sacrificiū perfecit Christus in templo suo, vt verus & vnicus sacerdos: bene institutū est à maioribus nostris, hodie cū Dauid canimus: Suscepimus Deus misericordiā tuā in medio templi tui. Nec inconueniens, cereos arduos circūferre faculas: sed vtinā intus quōque in mente arderent, illique nos totos cōmitteremus, qui semetipsum volens pro nobis obtulit.

Psal. 47.

Mortua erant quæ Iudæi offerebant sacrificia. Nondum enim Christus mortē subierat. Quia autē à morte surrexit, viuens viuētia requirit sacrificia. Nolo, inquit, mortē peccatoris, sed magis vt cōuertatur & viuat. Quādo ergo mortē nostrā nō appetit: cur illi vitam nostrā offerre renuimus? Hic ergo verissimus huius festæ diei fructus erit. Transcendēdum omnia ab alio in aliud, nec tantum in Christi sacrificium respiciendū, sed in hoc incumbendum, vt & ipsi fiamus sacrificiū. Melius & honorificētius profectō, vt nos deo dedamus, quā vt nobis ip sis nos permittamus. Nam qui se Deo committit, nō peribit. Qui verō sibi ipsi relinquitur, non subsistet. Gratia Dei Opt. Max. cum omnibus nobis, Amen.

Ezech. 18

NONVS SERMO.

Quod si præsentem festiuitatem, modò recitatū Euangelium, processionem siue supplicationem, cū reliquis cēremonijs omnibus, & gratiarū actionibus in vnum quasi fasciculum colligere, omniumque causas & rationes ostendere debuero: quid his Ecclesia fidelium quæserit? nihil profectō. Mea quidem sententia, nihil aliud sunt, quā Epilogus quidā natalitij gaudij, quo omnibus in memoriā reuocetur quod iam sex septimanis decantauimus: Ecce Maria genuit nobis saluatorem, quem Ioannes videns exclamabat dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Alleluia. Hæc, inquam, hodie rursus inculcantur. Huc etiam omnia, festum, Euangelium, Epistola, processio, cēremoniæ, oratio & gratiarum actio tendunt. Lætā festiuitas, plenum consolationis Euangelium, processio celebris, cēremoniæ, orationes, & gratiarum actiones deuotionis plenæ.

n ;

Hoc

Hoc solum exigunt omnia, ut eo melius & rectius agnoscat Christus Iesus ex Maria genitus, verus vnicusq; saluator, qui nō tantū hic, verum etiā in perpetuum saluare potest: imō qui saluū facit populū suū à peccatis eorū: & ut ille ipse credatur, suscipiatur, enuncietur, cōfiteatur, seruetur & magnificetur. Hæc summa est omnij. Nec sine causa huius hodie denuō, & tanta cum diligentia admonemur. Quin vehementer necessarium etiam, si tamen idem gaudium, eadē deuotio, fides & confessio, ijdem fructus et effectus in nobis erunt, uti modō in Simeone audiuius. Sic omnino, fratres, natalis festiuitas concludenda est, ut in mente gaudiū & deuotio, in ore fides & confessio, fructus & pietas conspiciatur in opere. Vbi verō hæc defunt, ibi certē natalis Christi vere agnitus non est, nequicquam inutiliter magisq; Iudaeā quam Christianē omnia peracta sunt.

Magnū igitur aliquid esse, tibi persuadeas piē auditor, quod hodie in oblatione Christi in tēplo audis: Ecce Maria genuit nobis saluatore, quē Ioannes vidēs exclamabat dicēs: Agnus ecce Dei, ecce qui tollit peccata mūdi. Hoc enim modo christus aspici debet in oblatione, hoc fundamentum huius festiuitatis sit, si modō inde fructus expectamus bonos. Hoc modo fecit Simeon.

Vis autem scire vnde huic seni tantum venerit gaudium, ea deuotio, quorum neutrū inuenerunt alij: aded, ut haud parum admirati sint de eo? Viderunt, inquit, oculi mei salutare tuū. Non hoc viderunt alij, propterea nec gaudium, nec deuotionem huiuscemodi inuenerunt: sit licet viderint puerum Iesum corporeis oculis, non minus apertē quā ipse Simeon. Alij ad Dei salutare videntur requirunt oculi. Mei, inquit, oculi viderunt salutare tuum. Sed quomodo amplius quid Simeon quā alij homines vidit? Audi Lucā: Responsum, inquit, accepit à spiritu sancto. Sed & per eundē spiritū venit in templū. Hic ergo purificat corda & largitur posse videre salutare Dei. Ille testimonium perhibet de Christo in mentibus hominum. Hoc ergo in Simeone initium omnis boni. Mox ut vidit in hoc puero salutare Dei, vero gaudio, vera intus impletur pietate. Hinc ergo gratias agit & benedicat primō, deinde orat, tertio nihil prater ea appetit

in ter-

Luc. 2.

Ioan. 16.

in terris: quarto sese in diuinam voluntatem committit. Postremo hoc ipsum quod cognouerat, alijs quoq; hominibus annunciat. Ecce oēs hi fructus inde sunt quod ait: Oculi mei viderunt salutare tuū. Quod si verè cogitare possemus quid sibi velit: Ecce Maria genuit nobis saluatorem, qui hodie vt verus Dei filius in templo, ac postea vt Dei agnus in cruce oblati, suo sanguine & sacrificio peccata sustulit mundi: si hæc, inquit, verè cogitare & credere possemus, id ipsum qđ in Simeone videmus, in nobis quoq; sequeretur. Mères nostræ imbueretur gaudio, os personaret laude & oratione, tæderet mundi & omniū quæ nō sunt Deus: placeret nihil, præter vnū Deū & Christum. Peteremus nihil, quàm purificatis mētibus in cœleste templū suscipi. Hoc vnū ageremus, vt cum Simeone caneremus: Nunc dimittis dñe seruos tuos secundū verbum tuum in pace: quia viderunt oculi nostri salutare tuū. Hoc esset Christi natalitia cōcluisse, tū ardētes nostras faculas verè nulla hypocrisis possemus ferre. Totus mundus nostrā in nobis fidē agnosceret viuere, & quod Christū verè agnouerimus. Et quid deinde nobis foelicius, si hæc Simeonis exēpla, spiritus, fides, deuotio & pietas in nobis eodē modo conspicerentur? Et certè hoc ipsum præcipuum est, quod hodie cogitare conuenit. Omnes Simeones simus necesse est, si cū ipso in pace æterna obdormiscere voluerimus. Et hæc quidē in genere de hodiernis festo & Euāgelio dicta sint. Id ipsum iā conferamus cū oratione quā tres pueri, Ananias, Azarias & Misael, socij Danielis in fornace habuerunt. Dan. 3.

Quod maximè conquerebantur erat: Et nunc Domine Deus, in omni confusione & opprobrio hoc tempore non est Princeps, non est dux, non est Propheta, neq; holocaustū, neq; sacrificium, neq; oblatio, neq; incensum, neq; locus primitiarum coram te, vt possimus misericordiam tuā inuenire. Hoc vehementer vrgebat hostes: hoc conquerebantur omnes. Verè enim nemo tam fortis, qui vel seipsum vel alios sua virtute è Satanæ captiuitate potuisset eripere: vni Dauid Christo hæc referuata victoria erat. Nō Saul cum omni exercitu suo: non Adā cū omni posteritate sua effecissent aliquid. Id quod in historia Dauid & Goliath præsignificatum est. 1. Reg. 17.

Secundo: Nemo qui verè consolaretur homines erat. Tentarunt quidem sæpè Prophetae, prænunciantes multa, sed expectanda adhuc. Certam etiam salutem, certam pacem promittebāt, sed quam nemo videbat: ideoque à multis nō habebatur fides dictis. Vnde pacis nunciij sancti Prophetae amare illachrymabantur, suspirijs dolètes, quòd suis verbis fides denegaretur. Quare indicibili diligentia & deuotione vehementi supplicarūt Deo vt promissionem suam impleret, & plenam liberationem mitteret. Mitte, domine, inquit Moses, quem missurus es. Et: Si inueni gratiam apud te, ostende mihi faciem tuam, id est, filium tuum. Et Isaïas: Vtinam cælos dirumperes, & descenderes. Et Dauid: Ostende nobis faciem tuam & salui erimus.

Tertiò: nullum ipsis erat Deo placens sacrificium. Quæ enim illi delectatio in sanguine vitulorum & taurorum? Non, inquit, accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircum: in Dauid loquès. Quarto nec sacerdotem habebant, qui se cum Deo reconciliare potuissent. Omnes enim ipsimet peccatores erāt, necesse habentes non minus pro seipsis quàm pro alijs orare. Sed quomodo leprosus immundum purificabit? aut quomodo inimicus inimicos reconciliabit? Ecce de his conquerebantur pro omni populo Danielis socij. At nos hodie lætis personamus vocibus: Ecce aduenit dominator dominus ad templū sanctum suū. Lætare ergo & exulta filia Sion & vade in occursum illi. Hic verò dominator dominus, Christus est, qui nos potestate sua diuina eripuit de potestate tenebrarum. Hic solus qui in verbo Euangelij sui cōsolatur nos. In me, inquit, pacem habetis. Et ego reficiam vos. Ille verus pontifex noster, qui nos patri Deo reconciliauit. Ille oblatio pro peccatis nostris. Pro his, inquit, sanctifico meipsum. Ipse etiam verum templum, in quo plenitudo habitauit deitatis, & in quo solo nostrā exaudiuit precem. Vide ergo, nū hæc conueniens præsentī festiuitati esset meditatio: querelā sociorum Danielis cū hoc festo cōferre? Nemo nō professò nostram lætitiā & laudes approbaret: nemo ardentes cereos, quibus fidē nostrā declaramus, quòd Christum solum, lumen nostrū, vitā nostram

stram

strā, salutem nostram, Regem etiam & pontificem credamus & consitemur nostrum, videret. Hoc ergo modo primò hæc festiuitas historiæ Danielis confertur.

Tam secundo etiam in eadem historia indicatur, quā humilitatem tres illi Danielis socij in sua oratione ostēdant. Omnia, inquit, quæcunque fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti, quia peccauimus tibi. Sese etiam ipsi annumerant, qui præuaricatione legis diuinæ, Dei iustam iram demeriti erant. Quanquam ipsi veri & Deo dilecti ministri, & serui. Egregium profectò humilitatis exemplum: Sed maius aliud videmus, quod Maria virgo purissīma, se impuris annumerans mulieribus, vt aliæ, legem de purificatione adimpleret. Et cū post etiā quā peperisset, virgo esset immaculata: non de huiusmodi gloriatur gratia, nec in minimo suum ostentans priuilegium. Hoc ergo perfectum humilitatis exemplum. Si ergo admiratione dignum, Danielis socios, in tantis gratiarum donis constitutos, tam humiliter de se sentire: maior ecce hodie nobis admirationis offertur causa, quod Maria, quā Deus super omnes creaturas quæ in cœlo, quæque in terra honorificauit, præ angelis & hominibus selegit, alijs sese æquiparat fœminis.

Dan. 3.

Egregia hæc exempla, sed parum à nobis cogitantur, multo minus opere implentur. Contrarium vbiq̃ue in nobis obuim est, qui præcedere alios ante omnes volumus, atque in minutis donis efferimur: imò qui cum peccatis enormibus, de quibus nostra nosmet conscientia accusat, coram hominibus probi & sancti videri volumus. Vide ergo, num & hæc pulchra & conueniens huic diei foret meditatio, vtrinque humilitatis exempla conferre. Necessè est enim hic consideremus, quā nos dedecet tam incedere tumidos, tam egenos omnibus gratiæ diuinæ donis: contrā in nobis circumferre, quæ meritò nos humiliatis admo-neant. Sit ergo hoc secundum, quo hodiernum festum Danielis comparatur historiæ.

Tertiò: hoc quoque in ea historia signatum est, egregiam tres illos laudem Deo mutuis vocibus decantasse, propterea quod illæsos se seruatos in fornacē cō-

Danie. 3. spicerent. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis & gloriosus in secula. Benedicant te omnes creaturæ tuæ, Cælum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt. Ecce quod gaudium in illis, etiam in medio fornacis & ignis constitutis, in quam laudem prorumpunt, & id quidem ob vnum gratiæ diuinæ beneficium, & temporaneum illud. In Euangelio Simeon quidē non tā multis vsus est verbis, sed huiusmodi laudem adornat, vt non minus quotidie in Ecclesia sua decantentur verba, quàm illa in Danielis historia. Et hic quidem veram operum Dei meditationem ostendit, cū angelos & cælos aliaq; omnia præterit: de hoc solo loquitur, qui cū Deo patre & spiritu sancto creauerat omnia. Hunc salutare omniū populorū, lumen gentium, & gloriam plebis Israël, dicit. Eaque propter gratias agens Deo, nil, se omne id consecutum, dubitat, quicquid concupiuerit vnquam. Tum nihil in mundo appetit, pertesit vite, nec mortem timet, nec diabolus. Nunc, inquit, dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Vide ergo & hic tibi conuenientis meditationis materiam collatis vtrinq; in vñ gratiarum actionibus. Nec mihi dubium fore, vt & nos recogitantes in nos distributa dona huius & futuræ vitæ, in eiusdem generis laudes prorūperemus. Hoc ergo secundum in quo hodiernum Euangelium cum Danielis sociorum oratione conuenit. Restat ergo vt apertis oculis eiusmodi res cogitemus, imò & lingua & manu idem facitantes imitemur: præeuntes maximè in Euangelio, & assumentes in manus ardentis cereos, Christo obuiam procedamus, cum lumen nostrum, salutare, gloriam, imò & Pontificem nostrum, sacrificium nostrum & templum consteamus. Deinde etiam cum Simeone Deum ex mentium nostrarum intimis celebremus, qui id temporis vixisse tribuit, quo ea in Christo impleta cernimus, quæ quondam præcinerunt Prophete futura. Sed &, secundum hanc fidem, cum Maria in omni charitate & humilitate viuamus, non mundi vel honores vel gloriam appetentes: sed eo honore, eaque contenti laude, quæ nobis apud Deum manent in sempiternum. Hæc sunt exempla quæ præsens nobis

nobis proponit festiuitas & Euangelium. Ergo igitur quæ huculque cogitauius, nunc porro sequamur. Gratia Dei Opti. Max. cum omnibus nobis, Amen.

DECIMVS SERMO.

Quod Euangelij simul & festi huius historia non nunc verbis solum nudis, vt alia, verumetiam externis quibusdam factis & processione ceu coram agerentur, nobis repræsentatur: sine magnis & peculiaribus rationibus nõ fit. Hoc agitur, vt facilius percipiant, & tenacius retineant simplices, quicquid in hoc Euangelio recitatum est. Res profectò magni momenti, magna & multa denuncians. Iudæis quidem rarum non erat, venire puerperam iusto tempore expleto ad templum, offerre ibi. Nec verò & primogenitos offerre Leuit. 12.
mirum. Quotidie enim & iuxta præscriptum Legis Exod. 13. fiebat. Proinde Mariam quoque primogenitum suum domino sistere, nihil illius gentis hominibus nouum erat. Nec etiam inde vel læticia vel pietate afficiebantur. Ratio: quòd nec matrem agnouerunt, nec primogenitum, nihil de ijs iudicantes, præterea quæ oculis videbantur. Verùm alijs Simeon omnia lustratur oculis: hic vidit, quod alijs inuisum erat. Accessit ergo ocus, puerum in vlnas suscipit, Deum pro eò vsque prorogata vita benedicit, benedicens & matri, futura de paruulo omnibus prædicat, salutare Dei cùctis populis obuim, & lumen vocat Gentium. Hæc, inquam, vidit Simeon: sed hoc ipsum non ex se, sed per spiritum sanctum. Fidei oculis hæc contuenda sunt, si qua non maior in nobis quàm in Iudæis fructus hinc nascitur. Si verò cogitare libet, quis ille puer, quomodo conceptus, & natus, quid de eo, non solum hodie Simeon, verumetiam omnes retrò Prophetæ maximè verò Aggæus & Malachias iam nunc futurum præcinerunt: in admirationem simul & animorum nostrorum rapiemur lætitiâ.

Homo hic paruulus est & Deus. Mater hunc virgo Aggæi. 2.
concepit & peperit. Tum hi duo Prophetæ venturum Malach. 3.
cum in templum, quod post Babyloniam captiuitatem extructum erat, prædixerant. Quæ omnia hodie primum impleta sunt. Hodie Christus vt vnicus & verus ille inter Deum & nos mediator, vt vnicum & suffi-

ciens

Psal. 47.

ciens pro totius mundi delictis expiandis sacrificium primum in templo suo visus est. Vnde merito cum Dauid dicimus: Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.

Id ipsum ergo hodie non modò verbis persuadetur, verumetiam externis quibusdam signis inculcatur: vt nempe per hanc nostram processionem admoneremur illius itineris quod hodie Maria virgo & mater beatissima confecit in Hierusalem. Tum etiam per arduos cereos ea nos credere omnia, quæcunque duo illi Prophetæ simul & Simeon de puero prædicauerunt. Hæc, iterum dico, hodie nobis persuadentur & inculcantur. Nec immeritò: neque enim huic similis templum vnquam intrauit puerpera. Nullum vnquam munus tale in templo oblatum est. Omnes profectò spectatum accurrissent ciues, si hanc puerperam talem thesaurum offerre sciuissent. Sed abscondita hæc, vt & alia, ab oculis eorum erant. Nobis ergo diligentius hæc, & quasi iam coram fierent, meditanda sunt. Admiranda virginis matris humilitas, quæ immaculata maculatarum se subdit Legi. Lætari decet, quod coram in templo & sacerdotem & sacrificium videre liceat: cum Simeone credula mente confitendum est, Christum verè esse, quem Deus nobis salutem & propitiatorem dedit. Vnus ergo fidei complectendus & conseruandus, in eoque consolationem nostram querere, per eum omnia læta sperare, in ipso etiam solo viuere & mori.

Apo. 3.

Hi sunt quos hodie deferimus cerei, qui tunc verè deferuntur, quando, vt dixi, vere in nobis hæc fides ardet & lucet. Fides enim in Christum lumen est lucens in tenebris: lumen quod errare nos non permittit: lumen in quo æternum lumen videmus. Qui hoc lumen habet, non timet tenebras. Hoc in mente ardente, & in vita lucente, Deum posidemus & omnia: hoc verò deficiente, pauperes, egeni, cæci & nudi relinquimur. Tantū ergo refert, vt arduos cereos feramus, hoc est, fidem constantia firmam, rectam, & puram, non solū ab omni erroris admixtione, verumetiam ab omni pusillanimitate, erga Deum, omni tempore, in omni perturbationis corporis & animæ periculo, in vita & in morte conseruamus,

mus,

mus. Id fiet, si Deum dominum nostrum, nos verò seruos eius crediderimus, si Christū salutare nostrum suscepimus, ac cum Simeone corde simul & ore dixerimus: Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Hæc ergo & festum hoc & processio & cerei postulant. Non ergo lusus est, si rem penitus introspeciamus. Hoc enim respicit in quo omnis nostra salus sita est: nempe fidem, ne illa erecte solū feratur, sed & diligenter conseruetur & custodiatur, ne vllō vento extinguatur. Quò enim maioris momenti res est fides, eò vehementiores flatus tentationum ad eam extinguendam sollicitat Satan. Huc ergo reliquum huius sermonis referam, cum vt doceam quomodo Satan fidem nostram impetat, tum quibus modis eam custodiamus ne extinguat. Commodissimè autem vtrunque & aperte significabo ex ea historia, in qua Sennacherib impius Assyriorum Rex, Hierusalem obsidione vallans, iustum Ezechiam iam per Legatos, iam per blasphema scripta à fiducia sua in Deum auertere, & in desperationem conabatur impellere. Quicquid enim ibi Sennacherib contra Ezechiam tentabat, idem nunc contra nos machinatur Diabolus. Quicquid ergo Ezechias ad conseruandū fidei suæ lumen egit, hoc ipsum nobis faciendū erit.

Historiam ipsam quære, & perlege quarto Regum nono, decimo: & secundo Paralip. 32. tum Isaïæ. 36. & 37. capitibus: inuenies quàm multis modis Ezechias sit impetitus pro sua in Deum fide: sed impetere non extinguere hostis potuit. Historia certè non inconvniens huic & festo & Euangelio, & maximè ad significandam nostram processionem. Primo enim vt erecte Simeon, sic & Ezechias fidei suæ lumen portauit. Ille omnem fidem suam in Christum, hic in Deum habebant. Hoc so- 2. Par. 23. lum differt, vehementius Ezechia fidem impetitam, Simeonis non item. Quanquam & Simeoni nō levis impetus suæ fidei, quod tam pauperem & humilem videbat Christum. A spiritu sancto responsum acceperat, Luc. 2. non visurum se mortem, nisi prius videret Christum domini. Atque visurum se eum in maiestate quadam cogitare potuit: sed veniens in templum, ecce vagientem videt

videt infantulum, cum matre paupereula, sine fastu & pompa cum summa humilitate. Alij fortè hæc videntes delusos se arbitrati fuissent, dixissentq;: An hic ille Messias, de quo tanta prædixerunt prophete? An ea in paupertate Christum Regem Iudæorum à Deo mitti convenit? Sed fortè & Simeon non absimiles tentationes sensit, quibus tantum fides sua probata fuit. Sed mens immota manet, plus tribuens dictatori spiritui S. quàm quod foris tantum conspexit in infantulo. Quod si secundum aspectum iudicasset, non hunc in ea humilitate Christum dixisset. Sed quia fidei sequebatur iudicium, confidèter dicere potuit hunc verè esse Christum, utur inops appareat & humilis. Et hoc quidem non fefellit iudicium. Fuit ergo status qui fidei suæ lumen extinguere potuisset.

Deinde & illud impetus esse potuisset, tam paucis hominibus hunc puerum tanquam Christum fuisse agnatum, quin soli tantum viduæ. Hac ratione possem fortè & alia ostendere, quibus Deus fidem Simeonis tentavit & probavit. Omnia in Ezechia vehementiora. Simeonem enim tentavit, Deus intentator malorum. At Ezechie ipse Satan sese opposuit, & quidem vi, ventorumque impetus concitans, ea de causâ, ut lumen eius extingueret, à fide in desperationē auerteret, & tandem in perditionem præcipitem daret. Multos variosq; impetus experiebatur Ezechias. Principio non levis qui adoriebatur hostis erat, Rex Assyriorum, illo tempore omnium Regum facilè Princeps. Deinde copiosum secum habebat exercitum, quem Isaïas apum examinibus & motis aquarū comparat fluctibus, ac virgam diuinæ iræ vocat. Quæ omnia ad indicandam potentiam huius hostis valent. Tertio, hic ipse minis seuerus, superbus ac pertinax, nempe dulci suarum patrumque suorum fortuna ebrius. Pater decem tribus Israël sibi subegerat. Sennacherib prouincias multas, innumerabilesque populos debellauerat, omnia refugia, omnes munitiones Iuda occuparat, iam Hierusalem oppugnaturus. Hic ergo multorum fides vacillauit, secum cogitantium: An non hæc iræ Dei, nostræque perditionis signa? Vtrique si benignus nobis esset, hanc à nobis perditionem auerteret,

Iacob. 1.

Isa. 7.

Isa. 8.

teret, non tantum sæuissimis impij Tyranni conatibus tribueret. Quin eadem & Ezechia subingessit cogitationes. Quid ergo solus tu? An te solū maiori curę Deo putas? An non alios complures in decem tribubus Israhel iustos fuisse arbitraris? Nec tamen eos vel fides, vel probitas ab Assyrijs custodiuit. Vt ergo illos abiecit Deus, sic te quoque omni auxilio desertum linquet. Frustra in eo confidis, nequicquam speras. Has, inquam, cogitationum procellas haud dubie Ezechias persensit, his Satan extinctam fidem mergere, imo omnes promissiones Dei extirpare radicitus voluit: ne quid speraret, ne quid fideret, ne quid peteret. Isdem contra nos quoque pestifer vititur machinis. Arma nostra in omni tentatione optima, sunt fides in Deum, & ex 1. Ioan. 3. fide procedens oratio. De fide enim Ioannes clarē: Hoc ipsum esse, quo vincimus mundum. Tum de oratione Iosaphat dicit: quando quid facere debeamus 2. Par. 20. ignoramus, hoc solum restat, vt in humilitate mentium nostrarum preces nostras Deo dicamus. His ergo fide & oratione absentibus, actum est nobiscum. In hoc igitur primum incumbit hostis noster, vt fidem aut imbellem faciat & eneruet, aut penitus tollat. At Rom. 10. pereunte fide, perit & oratio. Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt? Hanc vero Satanę esse cupiditatem, porro in historia hac Ezechia & Sennacherib elucet. Atque hic demum veri impetunt fluctus, veri insurgunt impetus, adeo vt admirari liceat: quomodo Ezechias lumen suum, fidem suam conseruauerit? Nihil enim Sennacherib prætermisit, quod optimum Regem lumine extincto, à fide in Deum auersum in desperationis barathrum præcipitare posset. Id quod primum per Legatos, deinde etiam Scriptis molitur.

Rabfices impius homo. Hoc ipso Sennacherib aduersum Ezechiam vsus est: qui ea non solum quę mandauerat Rex, verumetiam ab ipso Diabolo sub inspirata vrget. In quibus Ezechias sperabat & consolabatur, ille confundebat omnia: nec verbum vllum loquitur, quo non pius Rex veluti malleo tunditur in fide. Primo enim Rabfices se videndum præbet, insolens in eo loco, vbi ab omnibus videri potuit, vt eo magis
Eze-

Ezechiā & suos in terrorem raperet. Deinde tanto apparatu orationem instituit, vt nō ab homine, sed ab ipso Deo missus credi potuerit. Hæc dicit magnus Assyriorum Rex: Regem non simpliciter, sed magnum ostentans, idque ea propter etiam vt in timorem Ezechiam duceret. Tertio non iam vi & potētia, verumetiam dolis vitur: consulens Ezechiā ne in se confidat. Et quidem amicē & beneuolē loqui eum dixisses. Quæ tua spes? An nescis, inquit, quid sis, si conferaris cum Rege meo Sennacherib? Præsta quod potes, nihil tamen contra regem meum effeceris. At quidem per se malū non erat, quōd admonebat, ne in sua virtute consideret. Minimē enim hoc faciendum vlli hominum. Sed non hoc agebat Legatus: in desperationem inducere Ezechiam volebat. Quarto, omnem illi spem, quam fortē de hominibus suscipere potuit, aufert. Ad hæc etiam fiduciam in Deum surripere conatur, peccatorem & Dei inimicum constituens: & quod in omni vita fecerat optimum, impietatem interpretatur. Postremo se Dei mandato hoc inire certamen asserit. Et vt summatim dicam: Ezechiā persuadere laborat, quod nec ipse sibi auxilio esse, & quod frustra aliorum speraret auxilia, tamen etiam vanē expectare à Deo præsidia. At quis his verbis non induceretur in desperationem? Quid nisi impetus sunt validissimi? Quam ergo fortem constantia esse decet, qui contra hæc omnia niti vult? Sed ad nostram hæc admonitionem scripta sunt. Quemadmodum enim Sennacherib, per Rabfacem Legatum suum non vi tantum, sed & dolis vitur: ita erga nos quoque Satan. Vnde si cui ignotæ artes Satanae, ex hac ipsa historia licebit addiscere. Leo est, & serpens. Vi simul & dolis vitur. Fortis est, & aspectu terribilis, sed nihil nisi quod à Deo sibi concessum est potest. Deinde ministros suos habet, malos homines, malosque spiritus, quorum opera pios præcipitare nititur. Tertio, hoc maximē hominibus persuadere laborat, quod inimicum habeas Deum. Et hæc maxima circa fidem tentatio. Hoc enim persuasus homo, nihil boni à Deo sperare audet: nulla recreatur consolatione, vbique desperatio. Hoc querit & cupit Satan: siue ad hæc vi, siue do-

lis,

lis, siue vtatur vtroque. Hoc modo nobis lumen nostræ extinguit fidei. Sollicitè ergo magis laborandum, vt hoc lumen custodiamus & seruemus. At contra huiusmodi Satanæ tela, hoc optimum, vt cū Ezechia obturemus aures nostras, nec illius suggestionibus locum demus, sed ad Deum festinemus, huic nostra negotia committamus, vt idem Ezechias. Ante omnia autem vt cum Simeone Christū apprehendamus. Huic adhærentes, nihil in nobis potestatis habebit malignus spiritus, tentet licet, omnemque moueat lapidem, ac ipsa etiam peccata nostra repetens, Dei iram incoleat. Ille enim abstulit peccata nostra, nosque reconciliauit **D E O**. Meritò ergo cum Simeone latamur & exultamus, hunc nos superstites vidisse diem, in quo **D E V S** Pater talem demisit saluatorem. Præstet igitur in nobis diuina gratia, vt hoc saluatore piè vtentes cum Simeone æternam percipiamus salutem, Amen.

DE SANCTO MATHIA APOST. EVANGELIUM Matthæi. II.

IN illo tempore respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem nouit quis nisi filius: & cui voluerit filius reuelare. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suauis est, & onus meum leue.

o EO-